FUNICULUS TRIPLEX, QUO NECESSITAS ANGELICI LUMINIS D. THOMAE AD...

Charles : de Bryas, Polycarpus : de#Burgos

Digitized by Google

NAZIONALE
8
15 — I
43
VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FUNICULUS TRIPLEX,

Quo neceſſitas Angelici luminis D. THOMÆ ad veram S. AUGUSTINI intelligentiam inſolubiliter ſtringitur,

BAIUS, MOLINA, JANSENIUS.

Per P. CAROLUM AB ASSUMPTIONE *Carmelitam Diſcalceatum*, *S. Theologiæ in Collegio Duaceno nuper Lectorem, nunc & ſemper* GERMANUM PHILALETHEN EUPISTINUM,

BEATO P. JOANNI A CRUCE,

Primo Carmelitarum Diſcalceato, S. TERESIÆ Virginis in Carmeli Reformatione Coadjutori, Pœnitentiæ Miraculo, Soli Myſtico, feſtivo BEATIFICATIONIS Anno encænianti,

DICATUS, ET CONSECRATUS.

Cum facultate Superiorum.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

CAMERACI, Apud GASPAREM MAIRESSE Typographum juratum, M. DC. LXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATO P. JOANNI A CRUCE,

PRIMO CARMELITARUM DISCALCEATO,

S. TERESIÆ VIRGINIS COADIUTORI

IN REFORMATIONE CARMELI,

POENITENTIÆ MIRACULO;

SOLI MYSTICO,

Feſtivo Beatificationis Ann. encænianti.

QUidam à Sole Angelico D. THOMA Aquinate alieni, *de Pœnitentia* noviſſimè ſcribentes, pulſarunt animum meum, ut etiam *de Pœnitentia* aliquid meditarer, non à D. THOMA alienus, ſed juxta tutiſſima illius, & S. AUGUSTINI inconcuſſa dogmata, in quibus noviſſimos aberrare conſpicio. Hæc in animo volventi, lætus & dudum expectatus accurrit nuncius de tuâ, BEATE PATER, Beatificatione proximè futurâ. Continuò in mentem venerunt condigni tui Pœnitentiæ fructus, quos non tam expiandi, quam patiendi amore voluntariè ſacrificaſti illi, qui in arâ Crucis pro nobis omnibus omninò hominibus per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit Deo in Hoſtiam ſempiternam. Tuis, dico, Pœnitentiæ fructibus in meditatione mea *præconcepti de Pœnitentia operis* talis exarſit ignis, ut quæ *de Pœnitentia* donante Deo ſcriberem, tibi veluti POENITENTIÆ MIRACULO dedicare in encæniis tuæ Beatificationis decreverim, ſuo per te reddenda principio.

Quapropter tibi, BEATE PATER, debetur & TRIPLEX FUNICULUS, quem veluti præcurſorem librorum de Pœnitentia deſignamus. Unde præcurrendo pœnitentiæ tuæ, quâ Carnis, Mundi, Diaboli victor extitiſti, encomia tres Funiculos offero; ut ſicut in illis neceſſariam SS. AUGUSTINI & THOMÆ demonſtro concordiam; ſic & in hac præcurrente epiſtola, AQUINATIS THOMÆ & JOANNIS A CRUCE mirabilem oſtendam in poſtulatione præmij conformitatem. Silebo igitur illas prærogativas & excellentias, quæ tibi ut PRIMO CARMELITARUM DISCALCEATO debentur, ex proloquio Philoſophi, *Primum cujuſcumque generis eſt menſura cæterorum.* Tacebo

Digitized by Google

profundiſſimam humlitatem, & ſummam cordis puritatem, quæ tibi ut VIRGINIS TERESIÆ COADJUTORI competunt, ad inſtar illius adjutorij
a. Gen. 2. de quo dicitur : a *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Nihil dicam de ardentiſſima Charitate tua quam tot demonſtrarunt miracula, quot pœnitentiæ feciſti opera. Si amor magna operatur, oportet POENITENTIÆ MIRACULUM eſſe amoris incendium. Præteribo dignæ Myſticæ tuæ altitudinem ſapientiæ; in qua reluces ut MYSTICUS *Sol* b *in*
b. Eccli. 43. *aſpectu, annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelſi.*

Hæc omnia in corde conſervans uſque ad dedicationem *de Pœnitentia librorum,* tuam tantummodò, BEATE PATER, cum D. THOMA proſequar in poſtulatione præmij ſimilitudinem, veluti quamdam SOLIS MYSTICI cum SOLE ANGELICO convenientiam. SOLI ANGELICO Deus apparuit, dicens: *Bene de me ſcripſiſti* THOMA, *quam mercedem ergo recipies?* SOLI MYSTICO viſus eſt Dominus loquens: *Quid vis* IOANNES *pro laboribus?* reſpondit SOL ANGELICUS: *Non aliam niſi te Domine.* Dixit SOL MYSTICUS: *Pati & contemni pro te.*

Decertant hic *Veritas, & amor.* VERITAS, quam præpoſuit D. THOMAS regnis & ſedibus, divitias nihil eſſe ducens in comparatione illius; VERITAS, inquam, excellentiorem vult eſſe SOLIS ANGELICI reſponſionem, qui nihil temporale cogitans, ut ſunt paſſiones hujus temporis, & ſuper omnia creata tranſcendens, SOLUM DEUM, quo nihil excellentius excogitari
c. Rom. 8. poteſt, petijt in mercedem. *Exiſtimo enim*, ait Apoſtolus, c *quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* AMOR, propter quem carnem crucifixit cum vitijs ſuis B. JOANNES, omnia mundana & maximè ſeipſum arbitratus ut ſtercora; AMOR, dico, perfectiorem contendit eſſe SOLIS MYSTICI reſponſionem: qui æmulatus chariſmata meliora, & excellentiorem viam ſequutus, non quæ ſua ſunt quæſivit, ſed JESUM CHRISTUM, & hunc CRUCIFIXUM, petijt in mercedem, dum non aliud, quam pro amico ſuo per paſſionem & contemptum ſuam
d. Ioan. 15 ponere deſideravit animam. d *Majorem hac dilectionem*, quæ vinculum eſt perfectionis, *Nemo habet ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Quis VERITATIS & AMORIS componet diſſidium? DEUS SOLUS. Quæſivit D. THOMAS DEUM SOLUM, quæſivit & B. JOANNES. SOL ANGELICUS quæſivit veritatem ex amore: SOL MYSTICUS ad amorem cucurrit ex veritate. Non veritas ſine amore; non amor ſine veritate in Angelico & Myſtico Sole fuit: ſed veritas & amor obviaverunt ſibi. VERITAS obviavit amori in AQUINATE; AMOR obviavit veritati in JOANNE. Pando myſterium. Nihil ita inflat hominem ac ſcientia, dum quæritur ex amore ſui: qui etiam per laborem tendit in quietem. Benè ſcripſerat D. THOMAS: multum laboraverat B. JOANNES. Exquirit Deus mercedem ſcientiæ à SOLE ANGELICO, mercedem laboris à SOLE MYSTICO. Ut manifeſtaretur, non propriam excellentiam in ſtudio ſcientiæ quæſiviſſe D. THOMAM; dixit SOL ANGELICUS; non *Non aliam niſi te Domine* exquiro mercedem; quaſi diceret, nihil aliud præter te ſtudendo quæſivi, nihil igitur præter te ſit merces mea. Ut notum fieret, non propriam quietem in labore pœnitentiæ intendiſſe B. JOANNEM, dixit SOL MYSTICUS; hæc ſit merces mea *Pati & contemni & pro te*; quaſi diceret

nihil aliud, niſi Jesu Crucifixo configurari, laborando intendi; ſint igitur labores & contemptus, quibus configuror, merces mea. Poſſeſſio deſiderati eſt merces deſiderij. Qui in ſtudijs ſcientiæ Solum Deum deſideravit, Deus Solus efficitur illius merces: Qui in laboribus pœnitentiæ Crucem Solam deſiderat, Crux Sola fit illius præmium. Veritatis amorem demonſtrat Deus Solus à Solo Angelico in præmium exquiſitus. Amoris veritatem in laboribus pœnitentiæ deſignat Crux Sola à Sole Mystico pro mercede poſtulata. Quod deſideravit Thomas, deſideravit & Joannes. Thomas veritatis amore Deum veritatem obtinuit; Joannes amoris veritate Deum charitatem cõprehendit

En mirabilis tua, Sol Mystice, cum Sole Angelico, in poſtulatione præmij declarata conformitas. In qua omnes nos ad Regulam primitivam Reformati Carmelitæ plurimùm gloriamur, te cum Teresia in Parentes, Aquinatem cum Augustino in Magiſtros, ſpeciali Dei miſericordiâ conſequuti. Non eſt alia Religio tam grandis, quæ in Parentibus & Magiſtris Deos habeat appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis in Joanne & Aquinate Deus noſter. Teresia & Joannes perhibent protoparentẽ Jesum & hunc Crucifixum. Mater enim noſtra eſt non qualiſcumque Teresia, ſed Teresia a Jesu. Pater noſter eſt non qualiſcumque Joannes, ſed Joannes à Cruce. A Jesu & à Cruce geniti ſumus; ergo JESUS crucifixus genuit nos. Alias cerno Religiones à nomine JESU denominari; non tamen eas genuit JESUS crucifixus: unde nec in laboribus pœnitentiæ ſunt à juventute ſua. Iſta gratia erat Carmeli reſervata Discalceatis, ut non ſolum JESUM, ſed & hunc crucifixum in protoparentem haberent; JESUM ex parte Matris Teresiæ, parvulos lactantem, Crucifixum ex parte Patris Joannis, robuſtos perficientem.

JESU crucifixo protoparenti noſtro conjunxit in nobis Deus Thomam Aquinatem Magiſtrum noſtrum. Quæ eſt hæc conjunctio? niſi labores pœnitentiæ cum ſtudijs Scientiæ. Audeo dicere, non aliam eſſe Religionem, quæ cum tanta vitæ aſperitate & rigore diſciplinæ, tantum jungit ſtudium Scientiæ, non in novitatibus adinveniendis, ſed in tutiſſimis & inconcuſſis legendis Solis Angelici dogmatibus. Nec Scholaſticæ tantùm Doctrinæ, ſed & Myſticæ tuæ, Beate Pater, Sapientiæ nobis eſt D. Thomas Fundamentum. Nam Triplex nihilum, Myſticam tuam complectens Sapientiam, de quo in hiſce Funiculis, [e] non in alio fundaſti, quàm in tutiſſimo & inconcuſſo D. Thomæ dogmate, quo impoſſibile aſſeruit, dari ſpeciem aliquam creatam, quæ repreſentaret Deum ſicut in ſe eſt, ut legenti *Aſcenſum Carmeli* manifeſtum erit. e. Num. 52.

Quare non immeritò Triplicem Funiculum ad conjungendum Thomam Augustino deſtinatum tibi, Beate Pater, ſupplex offero, ut aliquid ad tuæ Beatificationis Solemnitatem de eo quod habeo conferam. Sileo, attentiùs te conſiderans; quia amore plenus proprio de mea à te diſtantia confundor, & in corde dico, [f] *Exi à me quia peccator homo ſum*, & te omnino f. Luc. 5.

Indignus Carmelitarum Diſcalceatus
Fr. Carolus ab Assumptione.

Digitized by Google

FACULTAS R. P. N. GENERALIS.

Fr. JOANNES CHRISOSTOMUS à S. PAULO *Præpoſitus Generalis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Sti.* ELIÆ *Ordinis B. Virginis* MARIÆ *de Monte Carmelo, ac ejuſdem Sancti Montis Prior.*

CUm opus, cujus titulus *Funiculus Triplex quo neceſſitas Angelici luminis* D. THOMÆ *ad veram* S. AUGUSTINI *intelligentiam inſolubiliter ſtringitur*, à R. P. Fr. Carolo ab Aſſumptione ejuſdem noſtræ Congregationis Profeſſo compoſitum, duo è noſtris Theologis, quibus illud commiſimus recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, Facultatem impertimur (quantum ad nos ſpectat) ut Typis mandetur. In quorum fidem præſentes dedimus ſigillo noſtro munitas, ac propriâ manu ſubſcriptas, Romæ in Conventu noſtro S. MARIÆ de Scala die 29. 1675.

Locus Sigilli. Fr. JOANNES CHRYSOSTOMUS à S. PAULO *Præpoſitus Generalis.*
✠ Fr. FAUSTUS à S. BASILIO *Secretarius.*

APPROBATIO PRÆLECTORUM ORDINIS,

Quos deputavit R. P. N. Generalis.

EX commiſſione R. admodum P. N. JOANNIS CHRYSOSTOMI à S. PAULO Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ Præpoſiti Generalis, Opus cui Titulus eſt, *Funiculus Triplex quo neceſſitas Angelici luminis* D. THOMÆ *ad veram* S. AUGUSTINI *intelligentiam inſolubiliter ſtringitur*, à R. P. Carolo ab Aſſumptione in noſtrâ Gallobelgicâ Provincia elaboratum, attentâ & accurratâ mente perlegimus; nihilque in eo deprehendere potuimus, quod vel Doctrinam S. Romanæ Eccleſiæ, vel morum probitatem offendere queat. In illo ſiquidem Author, ſicut & in fælici ſuo THOMISTARUM TRIUMPHO, ita utrumque Eccleſiæ Solem DD. Scilicet AUGUSTINUM & THOMAM clarè & firmiter conciliavit, ut AUGUSTINUS in THOMA ſit tibi legendus, ſi ab omni errandi diſcrimine immunis eſſe volueris, Quare cenſemus hoc Opus eſſe digniſſimum, ut ad majorem Dei Carmelique Diſcalceati gloriam, Scholæ Thomiſticæ decorem, omniumque Cordatorum gaudium & utilitatem, Typis mandetur. Ut qui ſub nomine GERMANI PHILALETHIS EUPISTINI delituit, in hoc Opere ſicut & in alijs, quos præparat de Pœnitentia libris ſub proprio Religionis noſtræ nomine toto orbi innoteſcat. Datum Duaci 27. Junij. 1675.

Fr. DOMINICUS à S. MARIA *S. Theologiæ Prælector.*
Fr. ELISEUS à S. FRANCISCO *S. Theologiæ Prælector.*

Digitized by Google

APPROBATIO.

Eruditiſſimi R. *P. Fr.* HIERONIMI HENNEGUIERE *Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, S. Theologiæ Licentiati, nuper ſtudij Generalis Duaci Regentis Primarij, &* AMICI PHILALETHIS.

PRæclara vox, PHILALETHES, & quæ à derivatione ſuâ grandia promittit, preſertim ubi GERMANUM inter & EUPISTINUM collocatur media. Planè convenit ut ſine fuco ſincerus, ſine falſitate verus, ſitque ſine deceptione fidei probator in omnibus, quicumque tribus hiſce vocabulis volverit tanquam proprijs denotari. Cæterum ſua interdum vocibus ſubeſt fallacia; nec raro per ipſas, aliud omnino exprimitur ab eo quod exprimi videbatur. Nam ut Ætiopes, inquit S. Hieronymus, *a* vulgò vocantur argentei, lucus minimè lucet, bellum nuſquam eſt bellum, Parcæ nemini parcunt, Eumenides furiæ non ſunt benignæ, nec vetat quempiam *Bonaſi* nomine vultus venuſtatem exprimere, quem deturpat naſi deformitas. Sic utique, nativâ licet ſignificatione reclamante, GERMANI PHILALETHIS EUPISTINI nomen ſibi teſtante *b* ſocio primus aſſumpſerat R. P. PLATEL in edito pro Scientia Media authoritatum catalogo, *c* quem præmiſerat ſuæ de prædetermintaione Phyſicâ controverſiæ ſub nomine D. DE CERF ridiculè admodum & fraudulenter propoſitæ. *d* Tot enim truncationibus, tot falſitatibus, tot deceptionibus ſcatet *e* catalogus iſte, ut ipſius author ab adulteratione GERMANI, à veritatis abjectione PHILALETHIS, à malâ fide EUPISTINI nomenclaturam videatur affectaſſe. Niſi forſitàn eo ipſum quo nos *f* quondam titulo excuſaveris, quòd non fallendi ſtudioſus, ſed ab aliorum fallacijs deluſus ea compilaverit quæ adulterata, falſa & infidelia comprobantur. Meritò proinde tamquam à poſſeſſore iniquo ſpecioſa hęc nomina detraxit R. P. CAROLUS AB ASSUMPTIONE, & ipſe cum ſæcularis exiſteret pigmentis Moliniſticis aſperſus *g* & imbutus, ſed modò in ſanctiſſimo CARMELITARUM DISCALCEATORUM ordine *h* nihil prioris retinens ſeu coloris ſeu odoris, totus à Doctore Angelico.

Igitur quo præclara illa quæ diximus nomina nativo ſignificato reſtitueret, ſub ipſis prodire voluit ſuum imprimis Librum *De Scientia Media ad examen revocata*. *i* nec non alios *k* poſtea de rebus alijs ſubſecutos. Verè ſe GERMANUM probavit dum novitio MOLINÆ invento fucum & larvam detraxit. PHILALETHEN agnovit Eminentiſſimus Cardinalis BONA *l* in ſuâ ad ipſum Epiſtolâ: nec dubium quin ad Sacram Congregationem Romanam ab Adverſariorum potentiſſimis ardentiſſimè delatus *m* pridem ſuccubuiſſet, niſi EUPISTINUS foret. Et verò ut in ſuis ſcriptis aliquid ſpurij admiſceat

a. Epiſt. ad Bonaſium.
b. R. P. De FOURMESTRAUX in *prologo ſua Defenſionis.*
c. Qui inſcribitur *Authoritas &c.*
d. Anno 1669.
e. Vt oſtendit R. P. FARBEAU in *opere cui titulus* Authoritas exauthorata &c. Anno 1670.
f. Opuſculo inſcripto *Vanitas Triumphorum* quos &c. authore AMICO *Philalethi conſentaneo* Anno 1670.
g. Coloniæ Philoſophiam excipit Anno 1643.
h. Anno 1653. Novitius 1661. Philoſophiam 1665 Theologiam legit.

i Anno 1670 *k De libertate & Contritione*; quæ tria Opuſcula additis duobus alijs *De natura ſana, & Probabilitate* ſecundò edidit ſub titulo *Thomiſtarum Thriumphi* An. 1671. & An. 1673. quem adverſus R. P de Fourmeſtraux firmavit in perpetuum An. 1674. *l.* Quam habes infra expoſitam pag. 125. *m.* De quo fit mentio pag. 28.

Digitized by Google

admiſceat, quem ad ſapientiæ ſuæ radios diſcernit AUGUSTINUS Theologorum aquila! ut à veritatis tramite deflecteret, quem nunquam de veritate ſuſpectus informat Doctor ANGELICUS! & quo demum capite fieret ut non eſſet *bonæ Fidei*, quem per omnia ſuſtentant duo præclariſſima Fidei Catholicę lumina? Legant igitur quæ ſcripſit opera, atque hunc imprimis TRIPLICEM FUNICULUM legant, qui Doctrinam in fide & moribus probatam, eamq;ue ſine fuco Germanam, ſine deceptione Fidelem inquirunt. Legant qui Hyponenſem præ Iprenſi AUGUSTINUM diligunt, qui MOLINISTICAS novitates faſtidiunt, qui BAIANIS propoſitionibus & ſenſibus infici nolunt. Sed hunc præ cæteris legant & perlegant ANGELICI Doctoris Diſcipuli. & cum probaverint è tot propugnatorum millibus ſibi fortè hactenus ſurrexiſſe neminem, qui majori zelo & animo Magiſtri ſui placitis inhærere, pro ipſis decertare, atque eorum neceſſitatem, excellentiam & profunditatem exponere ſtuduerit; gaudeant & gratias agant ad ſe de ſæculari [a] militia, atque ab illuſtriſſimâ familia [b] acceſſiſſe hominem, cujus animos & ſtudia ſi æmulati fuerint, intelligent nihil eſſe tam obſcurum quod ANGELICO lumine non illuſtretur, nihil tam difficile quod non ſuperetur, nihil falſum aut erroneum quod non convincatur: nullumque in AUGUSTINO ſenſum tam abſtruſum contineri, qui per ipſum ad debitam intelligentiam non eruatur: atque hinc adverſarijs omnibus puperiores effecti, indubitatam & externam in Scholaſtico pulvere palmam reportabunt. Ita Cameraci anno 1675. altera Aſſumptæ cœlum Virginis die vovebat.

[a] Fuit Capitaneus Anno 1647 & ſequenti in ſolemni ad Lendium Prælio cum Principe de LIGNE captus & Pariſios abductus.

[b] DE BRYAS. Cujus germanus frater Epiſcopus Audomarenſis aſſumptus eſt in Archiepiſcopum & Ducem Cameracenſem. Cameracenſij Comitem, S. Imperij Principem.

Fr. HIERONIMUS HENNEGUIER *Ord. FF. Prædicatorum.*

CENSURA ORDINARIJ.

HIc Liber inſcriptus, *Funiculus Triplex, quo neceſſitas Angelici luminis* D. THOMÆ *ad veram* S. AUGUSTINI *intelligentiam inſolubiliter ſtringitur*, Auctore R. P. Carolo ab Aſſumptione Carmelita Diſcalceato, nihil Orthodoxæ Fidei, aut probis moribus contrarium continet. Quinimô veram Doctrinæ S. AUGUSTINI intelligentiam ex Doctore ANGELICO Solidè declarat. Quapropter ad Doctorum utilitatem Typis edi poteſt. Cameraci 26. Auguſti 1675.

JACOBUS POLMAN *S. Theologiæ Licentiatus, Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis Canonicus, & Librorum Cenſor.*

LECTO-

Digitized by Google

LECTORIS CORDATI PRÆOCCVPATIO.

DE ſapientia legitur, quòd *a præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.* Sic veritatis amator præoccupat veritatis amantem, vt illi ſe prior oſtendat. quàm ab illis, qui, vt vulgo dicitur, quinque quærunt in ariete pedes, præueniatur. Tria ſunt, de quibus LECTOREM CORDATVM pręoccupatum deſideramus. a. Sap. 6.

PRIMVM.

Rogamus, vt qui paragraphum ſeptimum & octauum Funiculi tertij legerit, & Appendicem legat in calce libri poſitam.

SECVNDVM.

Renouamus proteſtationem à nobis factam in reſponſione ad R. P. de FOVRMESTRAVX, cuius titulus eſt, *Thomiſtarum Triumphus in perpetuum firmatus aduerſus iniuſtam recentis Moliniſtæ defenſionem.* Verba noſtra ſunt:

,, Proteſtor me omnes Bullas Pontificias
,, ſummo habere honori, vt par eſt Eccleſiæ
,, Filium, quam eſſe columnam credo, & fir-
,, mamentum veritatis. Abſit vt in aliquo à
,, decretis Pontificijs abſcedam. Abſit vt Sa-
,, cram Cardinalium Congregationem in mi-
,, nimo non audiam. Quidquid retractan-
,, dum cenſuerit, ex nunc retracto.

De gratię auxilijs, eorumque efficaciâ incidenter ago, non ex profeſſo, vti R. P. PLATEL *Ieſuita in ſuâ Synopſi.* Ne minimus ſit cauillationi locus, duos aduoco Patronos, Reuerendum ſcilicet P. N. PHILIPPVM à SANCTISSIMA TRINITATE Congregationis noſtrę felicis memoriæ Generalem, Sacri Officij Conſultorem, & R. P. LABAT Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui de gratiæ auxilijs ex profeſſo egerunt, ſemotâ contrauentionis alicuius omni formidine.

Hæc dicit R.P.Noſter *PHILIPPVS:* [b] ,, *Diu ſuſpenſus* b. 1.2.tom. 2. Impreſſ. Colon. An. 1656. In prologo ad Lectorem.
,, *fui circa impreſſionem huius tractatus de Gratia, quantùm*
,, *attinet ad duas diſputationes de auxilijs diuinæ gratiæ, ac*
,, *eorum concordiâ cum libero arbitrio, cùm aliàs talis impreſſio*
,, *fuerit prohibita per Summos Pontifices Paulum V. & Vrba-*
,, *num VIII. Sed inquirens circa hoc, reſponſum fuit mihi à*

,, *viris*

Digitized by Google

,, *viris doctiſſimis, & Religioſis tum in Galliâ, tum Romæ vn-*
,, *de nunc redeo, talem prohibitionem expiraſſe, & impreſſio-*
,, *nem huius materiæ nunc permiſſam à Summo Pontifice ;*
,, *(dummodo à Cenſurâ contrariæ partis abſtineatur) cùm*
,, *ipſo ſciente & permittente quotidie plures circa illam pro-*
,, *deant tractatus; non enim ſolùm in defenſionem IANSENII repetitæ Apologiæ, ſed etiam alia opera, vt Opus*
,, *SVARIS de auxilijs, prodierunt.*

e. tract. 2. Patris de Gratia diſp. 3. dup. 4.

Sic loquitur R. P. LABAT: [e] ,, *Nobiliſſimam ac difficilli-*
,, *mam aggredior controuerſiam, quam propter prohibitionem*
,, *Summorum Pontificum Pauli V. & Vrbani VIII. de illius*
,, *in lucem editione, agitare non erat in animo; ex quo tamen*
,, *grauiſſimi Theologi fidem faciunt, prædictam ceſſaſſe prohibi-*
,, *tionem, & ab Eccleſia ac Summo Pontifice extare permiſſio-*
,, *nem, cum inquiunt, ipſis ſcientibus ac prudentibus plures de*
,, *hâc materiâ in lucem editi ſint libri, vt Lugduni Opus Sua-*
,, *rez de Auxilijs, Toloſæ liber P. Annati, Pariſijs tot de gra-*
,, *tia repetitæ Apologiæ; & alij innumeri approbati libri, vt*
,, *Lugduni Philippus à SS. Trinitate, Pariſijs Bernardus*
,, *Guiard, Matriti Ioannes à S. Thoma, & Cratianopoli Pe-*
,, *trus Sammin, quam ob cauſam ad illius tractationem inoffenſo*
,, *pede non poſſum non accedere.*

Nec igitur minima exprobrari mihi poteſt Pontificiorum decretorum violatio, niſi R. P. PLATEL, & tot inſignes Doctores rei priùs condemnentur.

TERTIVM.

Adducimus Decretum Regis Chriſtianiſſimi, vt & in Gallijs, terriſque ei ſubiectis, in quibus ex mandato R. P. N. Generalis modò commoramur, nullum noſtri inueniant FVNICVLI Funiculum.

EXTRAIT

Digitized by Google

EXTRAIT DES REGISTRES

du Conſeil d'Eſtat du Roy tres-Chreſtien.

Du 23. iour d'Octobre 1668.

LE Roy ayant eſté informé par le Bref que noſtre Saint Pere le Pape a écrit à Sa Majeſté du vingt-huictiéme du mois de Septembre dernier, & par la viue voix du ſieur Archeueſque de Thebes ſon Nonce ordinaire aupres d'Elle, que Sa Sainteté eſt demeurée pleinement ſatisfaite de l'obeyſſance que les ſieurs Eueſques d'Alet, de Pamies, d'Angers & de Beauuais ont renduë aux Conſtitutions des Papes Innocent X. & Alexandre VII. du 31. iour du mois de May 1653. & 16. d'Octobre 1656. tant par la ſignature ſincere qu'eux meſme ont faite & qu'ils ont ordonnée dans la conuocation de leurs Sinodes à tous les Eccleſiaſtiques de leurs Dioceſes, du Formulaire de Foy inſeré dans la Conſtitution du meſme Pape Alexandre VII. du 15. Feurier 1665. que par les Lettres que leſdits ſieurs Eueſques ont écrites au meſme mois de Septembre dernier à Sa Sainteté pour l'aſſeurer de leur ſoûmiſſion auſdites Conſtitutions, & qui ont porté Sa Sainteté à vouloir bien oublier tout ce qui s'eſt paſſé iuſques icy pendant les dernieres Conteſtations; comme auſſi ledit ſieur Nonce ayant teſmoigné à Sa Majeſté que noſtredit Saint Pere deſiroit inſtamment de ſa pieté & de ſon zele accouſtumez, pour le bien de la Religion, la paix de l'Egliſe, & le maintien de l'vnion entre tous les fideles, que Sa Majeſté eût agreable d'employer fortement ſon authorité Royalle pour empeſcher que ces meſmes Conteſtations qui ont agité l'Egliſe de France depuis quelques années à l'occaſion de la condamnation du Liure de *Ianſenius*, intitulé *Auguſtinus*, ne puiſſent ſe renoueller en quelque maniere que ce ſoit: Sa Majeſté voulant y pourvoir & ſeconder les ſaintes & pieuſes intentions de noſtredit Saint Pere & donner moyen à

Digitized by Google

l'Egliſe de profiter aduantageuſement de la Paix que Sa Sainteté a eu la bonté d'y reſtablir : LE ROY eſtant en ſon Conſeil a ordonné & ordonne, que leſdites Bulles & Conſtitutions cy-deſſus énoncées continueront d'eſtre inuiolablement obſeruées & executées en toute l'eſtenduë de ſon Royaume, Pays, Terres, & Seigneuries de ſou obeyſſance; exhorte, & neantmoins enjoint à tous les Archeueſques & Eueſques de ſondit Royaume d'y veiller & tenir ſoigneuſement la main : Ordonne que les contrauentions & inexecutions faites auſdites Conſtitutions & à la Declaration de Sa Majeſté du mois d'Avril 1665. demeureront comme non aduenuës ſans qu'elles puiſſent eſtre iamais renouuellées par qui que ce ſoit, & ſous quelque pretexte que ce puiſſe eſtre : A fait & fait inhibitions & deffenſes à tous ſes Sujets de s'attaquer ny prouoquer les vns les autres ſous couleur de ce qui s'eſt paſſé vſant des termes d'Heretiques, Ianſeniſtes & Semipelagiens, ou de quelque autre nom de party, ny meſme d'écrire & publier des libelles ſur leſdites matieres conteſtées, ny de bleſſer par des termes injurieux la reputation d'aucun de ceux qui auront ſouſcrit ledit Formulaire de foy par les ordres de leurs Archeueſques & Eueſques, à peine de punition exemplaire. Et ſera le preſent Arreſt executé nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, dont ſi aucunes interuiennent, Sa Majeſté s'eſt reſeruée la connoiſſance, & à ſon Conſeil, & icelle interdite à toutes ſes Cours & Iuges. FAIT au Conſeil d'Eſtat du Roy, Sa Majeſté y eſtant, tenu à Saint Germain en Laye, le 23. iour d'Octobre 1668. Signé, DE LIONNE.

NIhil in hoc FVNICVLO TRIPLICI reperies, LECTOR CORDATE, huic Regis Chriſtianiſſimi Decreto aduerſum : ſiquidem non agimus de conteſtationibus, quæ occaſione libri JANSENIJ, cui titulus AVGVSTINVS, Galliam agitarunt; nullumque nomine *Heretici*, *Ianſeniſtæ*, & *Semipelagiani*, *aut alicuius Secta* prouocamus. Quod ſolum hoc Decreto prohibuit ſibi ſubditis Rex Chriſtianiſſimus.

BAIVS,

BAIVS, MOLINA, IANSENIVS,

TRIPLEX FVNICVLVS,

QVO

Neceſſitas Angelici D. THOMÆ luminis ad veram S. AVGVSTINI intelligentiam indiſſolubiliter ſtringitur; ideoq́ue

AVGVSTINVS IN THOMA LEGENDVS.

Procemium.

I. *DE pænitentiâ ſcribere intendens, præfationem meditatus ſum, in quâ neceſſitatem Angelici D. THOMÆ luminis, ad veram S. AVGVSTINI intelligentiam, breuiter demonſtrarem. Video in hac materiâ, ſicut & in alijs, à vero plurimos deuiaſſe, non aliâ ratione, quàm quòd S. AVGVSTINVM in D. THOMA non didicerint, plus fidentes humano ſtudio, quàm infuſo deſurſum Angelici Solis lumini. AVGVSTINO, & Patribus eſt D. THOMAS, quod ſacræ ſcripturæ ſunt AVGVSTINVS, & Patres. Qui veritatem quærit, non proprio ſenſu, ſed S. AVGVSTINI, & Patrum intellectu ſacras ſcrutatur ſcriptu-*

Digitized by Google

ras. Ita qui de veritate non deſiderat eſſe ſuſpectus, Angelico D.THOMÆ intellectu, infuſoque illius deſurſum lumine, magis quàm proprio & humanitus acquiſito ſenſu, debet S. AVGVSTINVM, & Patres legere, exponere, & elucidare. Neceſſitatem iſtam Angelici luminis ad veram S. AVGVSTINI intelligentiam præclariſſimè atteſtantur tres inſignes Doctores, BAIVS, MOLINA, IANSENIVS, qui Angelicam reſpuentes lucem fuêre omnes de veritate ſuſpecti : vt iuſtificetur

[a] Innocent. VI. *Deus in ſermonibus ſuis, quos ore Vicarij ſui*[a] *protulit de doctrinâ D. THOMÆ.* Præ cæteris, exceptâ canonicâ habens veritatem ſententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuerit, à tramite veritatis deuiauerit, & qui eam impugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.

II. *Præfationis breuitatem exceſſit ampliſſima materiæ ſeges. Quarè triplicem confeci funiculum, quem quaſi præcurſorem*

Pſal. 149. *concepti de pœnitentiâ operis in lucem edo,* Ad alligandum reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. *AVGVSTINI & THOMÆ diſcipuli reges eorum*

[b] Prou. 16. *& nobiles eorum ſunt, cum dominantes animo ſuo*[b] *meliores ſunt omni expugnatore vrbium. Compedibus ſapientiæ & manicis ferreis alligabuntur, ſi timore Apoſtolicas incurrendi cenſuras AVGVSTINVM in THOMA & THOMAM in AVGVSTINO didicerint. At aureos ſibi facient compedes, & manicas aureas ſi amore veritatis Auguſtianianæ & Angelicæ mutuas ſibi dederint manus; ſi vtriuſque Sancti Doctoris & Magiſtri & Diſcipuli ſapientiam præpoſuerint regnis & ſedibus; ſi ſuper ſpeciem & ſalutem dilexerint, & propoſuerint pro luce habere; quoniam inextinguibile eſt lumen vtriuſque, id eſt* TVTISSIMA ET INCONCVSSA SVNT VTRIVS-

[c] Matth. 19. QVE SOLIS DOGMATA. [c] Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet. *Summi in terris Domini noſtri IESV CHRISTI*

TI

TI Vicarij [d] *AVGVSTINO THOMAM conjunxerunt & æquiparauerunt. Nullus igitur homo eos ſeparare præſumat, ſi de veritate non voluerit eſſe ſuſpectus, & Apoſtolicas noluerit experiri Cenſuras.*

[d] Clem. v. VIII. Alexander VII.

FVNICVLVS PRIMVS

MOLINA.

III. A MOLINA incipimus; quamtumvis ſit ordine antiquitatis in titulo ſecundus. Nam rectùs doctrinę præſcribit ordo, à notioribus incipiendum eſſe. Manifeſtum eſt, & inexcuſabile *Molina* in AVGVSTINVM peccatum. Duo alij non crediderunt, ne latum quidem vnguem à doctrinâ S. AVGVSTINI recedere. *Molina* ſciens, & volens, S. AVGVSTINVM *quaſi ſub caligine conſtitutum* dimiſit: idq́ue feciſſe gloriatur, ad pacificandum Fideles & reliquias Pelagianorum extinguendas. Intuere, CORDATE LECTOR, *Molinæ* iactantiam, de principijs adinuentionum ſuarum differentis: [e] *Quæ*, ait, ſi *data explanataq́ue ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum diuinâ gratiâ, præſcientiâ, & prædeſtinatione cohæreret non poſſe; neque ex AVGVSTINI opinione concertationibuſque cum Pelagianis tot Fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſq́ue defeciſſent; facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Galliâ, quarum in Epiſt. Proſperi & Hilarij ſit mentio fuiſſent extinctæ, vt patet ex ijs in quibus homines illos cum Catholicis conueniſſe, & ab eis diſſenſiſſe eadem Epiſtolæ teſtantur, concertationeſque inter Catholicos facilè fuiſſent compoſita.* De hac Molinæ iactatione conſule TRIVMPHVM THOMISTARVM. [f] Vbi P. ANNATI, & IVNIORIS cujuſdam MOLINISTÆ cauillos elidimus.

[e] Concord. q. 23. a. 4. & 5. diſp. 7. memb.

[f] THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. I. *de Scientia Media ad examen reuocata. num.* 32. & 189.

Manifeſta in hiſce verbis eſt *Molinæ* à S. AVGVSTINO diſceſſio. Confeſſus eſt, & non negauit. In quo maximâ ſub caligine fuit ipſe conſtitutus, eò quòd lucernam Angelicam poſuerit ſub modio ſuarum adinuentionum, magis volens in ſeipſo, quàm in D. THOMA gloriari. Hic eſt Funiculi primi ſcopus, vt defectu luminis Angelici oſtendamus, *Molinam* ſub caligine fuiſſe. Ad quem ſcopum *Primò* lucernam Angelicam accendemus. *Secundò* oſtendemus *Molinam* poſuiſſe eam ſub modio. *Tertiò* probabimus, defectum Angelici luminis fuiſſe cauſam, cur in doctrinâ AVGVSTIANA maximam paſſus fuerit caliginem; & conſequenter à veritate longiſſimè receſſerit. *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis ANGELICÆ radium.*

Digitized by Google

§. I. *Lucerna ANGELICA accenditur, quam ſub modio poſuit MOLINA.*

IV. LVcerna ANGELICA ſuper candelabrum gratiæ AVGVSTINIANÆ ab omni Cordato ponenda, eſt duplex actus voluntatis immutatio, vna ex parte obiecti, altera ex parte voluntatis. Luceant verba Angelica coram intrepidis veræ Chriſti gratiæ defenſoribus, & honorificetur THOMAS in omnibus.

g Veritat. q. 22. a. 9. *Cum actus*, inquit, [g] *voluntatis ſit quaſi medius inter potentiam & obiectum, immutatio actus voluntatis poteſt conſiderari, vel ex parte ipſius voluntatis, vel ex parte obiecti. Ex parte quidem voluntatis mutare actum voluntatis non poteſt niſi quod operatur intra voluntatem, & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundum fidem ſolus Deus eſt. Vnde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de vno in aliud ſecundum quod vult.*

h. 1. p. q. 106. a. 2. Et in Summa; [h] *Ex parte verò ipſius potentia voluntas nullo modo poteſt moueri niſi à Deo. Operatio enim voluntatis eſt INCLINATIO QVÆDAM VOLENTIS IN VOLITVM. Hanc autem inclinationem ſolus ille immutare poteſt qui virtutem volendi creatura contulit: ſicut & naturalem inclinationem ſolum illud agens poteſt mutare, quod poteſt dare virtutem, quam conſequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus eſt auctor intellectualis natura.*

i. 1. p. q. 106. a. 2. Hæc Sol Angelicus de immutatione actus, quæ eſt ex parte voluntatis: Eam autem, quæ eſt ex parte obiecti, ſic exponit: [i] *Ex parte quidem obiecti mouet voluntatem & ipſum bonum, quod eſt voluntatis obiectum, ſicut appetibile mouet appetitum: & ille qui demonſtrat obiectum, puta qui demonſtrat aliquid eſſe bonum.*

l. 1. p. q. 105. a. 4. Vtrumque eleganter proſequitur D. THOMAS his verbis: [l]

„ V. Poteſt autem voluntas moueri ſicut ab obiecto à quocumque bono, non tamen ſufficienter & efficaciter niſi à Deo. Non enim ſufficienter aliquid poteſt „ mouere aliquod mobile niſi virtus actiua mouentis excedat, vel ſaltem adæquet „ virtutem paſſiuam mobilis. Virtus autem paſſiua voluntatis ſe extendit ad bo-„ num in vniuerſali. Eſt enim eius obiectum bonum vniuerſale, ſicut & intelle-„ ctus obiectum eſt ens vniuerſale. Quodlibet autem bonum creatum eſt quod-„ dam particulare bonum, ſolus autem Deus eſt bonum vniuerſale. Vnde ipſe „ ſolus implet voluntatem & ſufficienter eam mouet vt obiectum.

Obſerua, tunc voluntatem ſufficienter moueri ab obiecto, quando obiectum ita mouet, vt non poſſit repudiari, quod paſſim vocat D. THOMAS *de neceſſitate mouere*, neceſſitate ſolùm tenente ſe ex parte obiecti, quæ non excludit libertatem agentis tenentem ſe ex parte voluntatis. Illud particulare bonum, quod à parte rei non eſt omne bonum, nec vt tale apprehenditur, non poteſt ſufficienter ſiuè de neceſſitate mouere voluntatem vt obiectum: At illud particulare bonum, quod à parte rei eſt omne bonum, & vt tale apprehenditur, quale bonum eſt ſolus Deus, poteſt ſufficienter, ſiuè de neceſſitate mouere voluntatem vt obiectum. Dicitur Deus particulare bonum, inquantum eſt quoddam bonum à parte rei exiſtens, & ab omni bono creato diſtinctum. Dicitur vniuerſale bonum non vniuerſalitate rationis, ſed vniuerſalitate reali. Eſt enim actu in Deo à parte rei omnis

nis plenitudo bonitatis, quam in potentia vniuerſale bonum habet in intellectu.

Ex parte demonſtrantis obiectum, ipſe etiam ſolus Deus ſufficienter mouet voluntatem; quia ſolus ipſe poteſt illud bonum demonſtrare, quod à parte rei eſt bonum vniuerſale. Ita D. THOMAS, m qui ait: *Et hoc bonum ſolus ipſe oſtendit, vt per eſſentiam videntur à beatis, qui dicenti Moyſi* oſtende mihi gloriam tuam, *reſpondit*, ego oſtendam tibi omne bonum, *vt habetur Exodi 33. Angelus ergo non ſufficienter mouet voluntatem, neque vt obiectum, neque vt oſtendens obiectum: ſed inclinat eam vt amabile quoddam: & vt manifeſtans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem.* Sic Deus per aliquam ſpeciem creatam cognitus poteſt ſufficienter mouere voluntatem, nec vt obiectum, nec vt oſtendens obiectum, eò quod nulla ſpecies creata poteſt repræſentare quidditatiuè id quod à parte rei eſt vniuerſale bonum. m. 1. p. q. 106. a. 2.

VI. Lucerna Angelica de duplici actus voluntatis immutatione clariſſimè accenditur, in ea quęſtione, quam verſat D. THOMAS, n *vtrum diabolus ſit homini directè cauſa peccati?* Illuminare CORDATE LECTOR, illuminare, quia venit lumen tuum, quo GRATIAM AVGVSTINIANAM ab omni veteris legis fermento valeas expurgare. Audi verba Angelica: n. 1.2.q. 80. a. 1.

„ Nihil poteſt directè eſſe cauſa peccati, niſi quod poteſt mouere voluntatem „ ad agendum. Voluntas autem, ſicut ſupradictum eſt, à duobus moueri poteſt. „ Vno modo ab obiecto, ſicut dicitur, quod appetibile apprehenſum mouet ap- „ petitum. Alio modo, ab eo quod interiùs inclinat voluntatem ad agendum. „ Hoc autem non eſt niſi vel ipſa voluntas, vel Deus, vt ſuprà oſtenſum eſt. Deus „ autem non poteſt eſſe cauſa peccati, vt dictum eſt. Relinquitur ergo quòd ex „ hac parte ſola voluntas hominis ſit directè cauſa peccati.

Cum quo ſtat, quod ex hac parte Deus moueat voluntatem ad actum peccati ſub illâ ratione, ad quam non ſequitur malitia, ſiuè quod idem eſt, quod Deus ſit cauſa phyſica actionis peccati inquantùm ens & actio eſt. Docet o etenim Communis Doctor duplici errori propinquiſſimam eſſe opinionem, quæ dicit, *actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquantùm actus ſunt, à Deo eſſe.* Et alibi ait? p *Hæreticum eſt dicere, aliquod ens, inquantùm ens non eſſe à Deo, nec ſolùm Fidei contrarium eſt, ſed etiam rationi.* Vide quę de hac materia fusè contra R.P. Annatum diſputauimus in TRIVMPHO THOMISTARVM: q Sed & maximè, quæ firmauimus in æternum aduerſus *iniuſtam* R. P. DE FOVRMESTRAVX *recentis Moliniſtæ defenſionem*, quam aduerſus dictum TRIVMPHVM infeliciter, vt Cordatis viſum eſt, ſuſcepit, nullo inculpatæ moderamine ſeruato tutelæ. Cernes ibi, r CORDATE LECTOR, clariſſimè ſtabilitum, *prædeterminationem Dei phyſicam ad actum peccati, inquantùm ens & actio eſt*, non habere plus difficultatis, quàm *Deum eſſe cauſam phyſicam actus peccati inquantùm ens & actio eſt.* Quocumque argumento aliquam difficultatis ſpeciem continente impugnaueris *prædeterminationem Dei phyſicam ad materiale peccati*, eodem argumento ęquè efficaciter impugnabis iſtud aſſertum, *Deum eſſe cauſam phyſicam materialis peccati.* Quidquid etiam ſecundum probauerit, probabit & primum. Illa paris & eiuſdem difficultatis ęqualitas adeo eſt manifeſta, vt qui eam non viderit, litigare amplius non debeat, ſed orare Deum vt intelligat. Proſequamur teſtimonium Angelicum, quo explicata immutatione actus voluntatis ex parte ipſius potentiæ,

o. 2. diſt. 37. q. 2. a. 2.
p. Ad Annib. 2. d. 37 q. 1. a. 2.
q. THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo 1. cap. 2. art. 3.
r. tomo 3. cap. 4. §. 6.

 exponit

Digitized by Google

exponit eam, quę eſt ex parte obiecti his verbis:

„ VII. Ex parte autem obiecti poteſt intelligi, quòd aliquid moueat voluntatem „ tripliciter. Vno modo ipſum obiectum propoſitum, ſicut dicimus, quòd cibus „ excitat deſiderium hominis ad comedendum. Alio modo ille qui proponit „ vel offert huiuſmodi obiectum. Tertio modo, ille qui perſuadet obiectum „ propoſitum habere rationem boni, quia & hic aliqualiter proponit proprium „ obiectum voluntati, quod eſt rationis bonum verum, vel apparens. Primo „ igitur modo res ſenſibiles exteriùs apparentes mouent voluntatem hominis ad „ peccandum: Secundo autem & tertio modo, vel diabolus, vel etiam homo po-„ teſt incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile ſenſui, vel per-„ ſuadendo rationi.

„ Sed nullo iſtorum trium modorum poteſt aliquid eſſe directè cauſa peccati, „ quia voluntas non ex neceſſitate mouetur ab aliquo obiecto niſi ab vltimo fine, „ vt ſuprà dictum eſt. Vnde non eſt ſufficiens cauſa peccati, neque res exte-„ riùs oblata, neque ille qui eam proponit, neque ille qui perſuadet. Vnde ſe-„ quitur quòd diabolus non ſit cauſa peccati directè, vel ſufficienter, ſed ſolùm „ per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile.

Hæc fulgentiſſimus Doctor & Eccleſię Sol D. THOMAS de duplici actus voluntatis immutatione; quarum vna eſt ex parte voluntatis, altera eſt ex parte obiecti. Ignorantia huius diuiſionis plurimorum eſt mater errorum circa materias gratię diuinæ, & libertatis humanę.

§. II. *MOLINAM poſuiſſe lucernam ANGELICAM ſub modio, probatur primò ex illis, quæ MOLINISTÆ docent.*

VIII. Accenſa eſt paragrapho ſuperiore lucerna ANGELICA. Probemus modò *Molinam* poſuiſſe eam ſub modio in materia gratiæ prçuenientis. Et primò quidem in præſenti paragrapho ex illis quę docent *Moliniſtæ*; ſecundò in ſequenti paragrapho ſolidiſſimâ ratione.

De duplici actus voluntatis immutatione, vnam ſolum, quæ eſt ex parte obiecti, *Molina* tribuit gratiæ præuenienti, aliam, quæ eſt ex parte voluntatis, penitus occultauit, vt non dicam ignorauit. Cùm aperta & euidens ſit doctrina ANGELICA à S. AVGVSTINO depoſita, gratiam non ſolùm ex parte obiecti, ſed & maximè ex parte voluntatis prçuenire illius actum; imò hoc eſſe ſpeciale verę Chriſti gratię munus, vt infrà dicetur; ſi probauerimus *Molinæ* gratiam ſolùm ex parte obiecti præuenire voluntatem, quę minùs propria eſt gratię AVGVSTINIANÆ & ANGELICÆ immutatio, erit quoque probatum, *Molinam* poſuiſſe ſub modio lucernam ANGELICAM. Aſſumptum probo ex tribus, quę docent *Moliniſtæ*.

IX. Primò veritatem aſſumpti luculenter manifeſtant comparationes, *Moliniſtarum*. Comparant enim motionem gratię præuenientis motioni imperantis & perſua-

Digitized by Google

perſuadentis; nec aliam ei tribuunt efficaciam. Vnus pro mille ſit R. P. DE FOVRMESTRAVX, qui *in iniuſtâ ſuâ defenſione f* impugnat THOMISTARVM TRIVMPHVM pronuntiantem MOLINÆ eſſe ſententiam, quòd *auxilium gratiæ præuenientis ſit indifferens ad amorem, & odium, liberum autem arbitrium determinatione ſuâ efficere quod ſit ad amorem.* f. cap. 2. n. 160. & 161.

„ Quis hoc, *inquit*, crudè ſic dictum admittat! Ecquę enim in eo ſpecies veritatis, vt id, quod excitat, quod mouet, quod allicit voluntatem ad amandum, dicatur indifferens ad amorem & odium? an qui alteri furtum ſuadet, perindè facit, ac ſi indifferenter illum hortetur ad iniuriam aut vitandam, aut inferendam? quis adeo inſaniat, vt verum id pronuntiet? nec igitur diuina motio ſeu excitatio ad amandum dicenda eſt indifferens ad amorem aut odium, cum determinatè ad amorem alliciat odio contrarium. Quia verò voluntas ità mota, & excitata ad amandum, nihilominus etiam tum ſic amat, vt poſſit non amare; ideò indifferens adhuc dicitur ad amandum aut non amandum, ipſaque diuina motio habere quamdam velut indifferentiam, hoc ſenſu quòd ſecundum entitatem ſuam ſpectata, nullam habeat repugnantiam, vt pro libertate voluntatis, ei reſiſtentis conjungatur cum negatione, aut contrario actu odij. Verum id non impedit quo minus dicatur, dici debeat voluntatem determinatè mouere ad amandum, eamque dum congrua eſt, vt amet determinare, non Phyſicè, vt volunt Banniſtæ, ſed moraliter; eâ vt minimùm efficaciâ, quâ quis conſilio ſuo, aut promiſſis ſuis, aut imperio dicitur alterum ad agendum determinaſſe.

„ Quemadmodum ergò ſuadenti, aut promittenti, aut imperanti, aut quomocumque alterum allicienti, ac mouenti iure merito, actio aliena inde conſequens attribuitur; ita ſanè ac iure adhuc longè meliori, quæcumque actio bona, quęcumque voluntatis ad bonum determinatio, ad quam diuina gratia mouet, excitat, & allicit, omninò in Deum referenda eſt. Maximè cùm fieri non poſſit, vt ſine huiuſmodi excitatione bonum, vt expedit ad ſalutem, aut velit, aut exequatur.

X. *Quam pulchra verba* exclamat GERMANVS PHILALETHES, [a] *quis ſimplex & incautus non eis crederet veram Chriſti præuenientis gratiam prædicari? Applicetur doctrina tradita, & non erunt niſi verba.* Sic & tu, CORDATE LECTOR, iudicabis, ſi, GERMANVM PHILALETHEM conſulueris. Ad Funiculum noſtrum ſufficit *recentis Molniſtæ* ore omnium ſuorum Sodalium loquentis confeſſio, quâ ad inſtar ſuadentis, promittentis, aut imperantis explicat motionem & efficaciam gratię præuenientis. a. THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo 3. cap. 2. §. 2. n. 20.

Conſtat ex doctrinâ Angelicâ præcedentis paragraphi, ſuadentem & imperantem non mouere voluntatem niſi ex parte obiecti. Si igitur gratia pręueniens *Molniſtarum* nonniſi ad inſtar ſuadentis & imperantis moueat voluntatem, colligitur optimè, *Molniſtas* nonniſi motionem ex parte obiecti tribuere gratiæ præuenienti.

Quod & confirmat alia comparatio, quam faciunt cum motibus concupiſcentiæ præuenientis. Dicunt enim Deum ſuſcitare in voluntate quoſdam motus indeliberatos, quibus excitatur & inclinatur voluntas ad bonum, ſicut motibus concupiſcentiæ indeliberatis excitatur & inclinatur ad malum. Hâc comparatione

Digitized by Google

b. Concord. q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. ſol. 330. col. 2.

c. THOMISTAR TRIVMPHVS tom. 3. cap. 6. §. 2. n. 350.

tione explicat *Molina* [b] motionem ſuę gratiæ præuenientis. Certum eſt concupiſcentiam mouere voluntatem ex parte obiecti; ergò & certùm eſt, gratiam præuenientem *Molinæ* nonniſi ex parte obiecti mouere voluntatem. Alium ex iſtâ comparatione confecimus in TRIVMPHO THOMISTARVM FIRMATO Funiculum, [c] quo ita conſtringeremus aduerſarium, vt velit, nolit, admittere deberet, voluntatem eſſe in bonis actibus, ſicut & in malis primam diſcretionis cauſam.

XI. Secundò, modus influendi, quem gratiæ præuenienti tribuunt aduerſarij, ſufficienter oſtendit eorum gratiam præuenientem ex parte obiecti, non ex parte voluntatis mouere voluntatem. Docent enim gratiam præuenientem non eſſe cauſam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat in opus, ſed liberum arbitrium eſſe cauſam, cur gratia hic & nunc influat. Patet ex verbis R. P. DE FOVRMESTRAVX nuper citatis, & P. Leſſio, quem retulimus in TRIVMPHO THOMISTARVM FIRMATO. [d] Tale eſt immutationis ex parte obiecti munus. Nam ipſum obiectum non eſt cauſa, cur voluntas hic & nunc influat in opus, ſed voluntas eſt cauſa, cur obiectum hic & nunc influat in opus. Vnde ſicut obiectum redditur efficax à voluntate, ita & defendunt *Moliniſtæ* gratiam à voluntate reddi efficacem. *Rectè dicit Molina*, ait Leſſius, [e] *quòd gratia ſit efficax, vel inefficax pendere à libero arbitrio, addo, vt in poteſtate liberi arbitrij ſit, gratiam, quæ ſecundum ſe eſt ſufficiens reddere efficacem vel inefficacem in actu ſecundò. Quod non video qua ratione negari poſſit, niſi quis nodum in ſcirpo quærat.* Nullâ certè ratione negari poteſt ab eo, qui ſolam immutationem ex parte obiecti tribuit gratiæ præuenienti. Verùm qui lucernam ANGELICAM de immutatione actus ex parte voluntatis ſub modio non poſuerit, negare non poterit, hallucinatum eſſe *Molinam*, niſi quis nodum in ſcirpo quæſierit.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. cap. 2. §. 1.

e. lib. de grat. cap. 10. n. 9.

f. num. 9.

XII. Tertiò eadem probatur veritas ex ſolâ motione morali, quam tribuunt gratiæ pręuenienti. Conſule verba R. P. DE FOVRMESTRAVX, [f] & inuenies gratiam præuenientem non habere in liberum conſenſum alium influxum, quàm moralem. Hic eſt proprius obiecti influxus. Voluntas phyſicè influit in actum; obiectum verò moraliter; eſt enim motio illius per modum finis, qui metaphoricè, & non phyſicè, mouere dicitur voluntatem. Quarè immutatio, quę fit ex parte obiecti, moralis ſolummodò eſſe poteſt: quæ vero fit ex parte voluntatis debet phyſicè, ſicut & ipſa voluntas, influere in conſenſum liberi arbitrij. En CORDATE LECTOR, radix manifeſta, cur *Moliniſtæ* tantopere refugiant gratiam phyſicè præuenientem, ſeu prædeterminantem; radix enim eſt, quòd lucernam ANGELICAM de immutatione, quæ fit ex parte voluntatis, ſub modio occultauerint, ſolam eam, quæ fit ex parte obiecti, annuntiantes.

§. III. *Solidiſſimâ ratione ſupradicta confutatur* MOLINÆ *hallucinatio.*

g. q. 3. de Malo a. 3.

XIII. SOlidiſſimam *Moliniſticæ* hallucinationis rationem præbet nobis doctrina ANGELICA ſupra firmam veritatis petram fundata. *Dicendum*, ait D. THOMAS, [g] *quod cauſa aliquid mouens multipliciter dicitur, quandoque enim dicitur*

Digitized by Google

dicitur cauſa id quod eſt diſponens, vel quòd eſt conſilians, vel quod eſt præcipiens: quandoque verò dicitur cauſa id quod eſt perficiens, & hac propriè & verè cauſa dicitur: quia cauſa eſt ad quam ſequitur effectus. Ad actionem autem perficientis ſtatim effectus ſequitur, non autem ad actionem diſponentis, vel conſulentis, vel imperantis. Suaſio enim non cogit inuitum, vt August. dicit in lib 83. Quaſtionum.

Sic ergo dicendum eſt, quòd diabolus humani peccati cauſa eſſe poteſt per modum diſponentis, vel perſuadentis interiùs, aut exteriùs: aut etiam per modum præcipientis, vt apparet in his, qui ſe manifeſtè diabolo ſubdiderunt: ſed per modum perficientis (id eſt phyſicè mouentis) *cauſa peccati eſſe non poteſt. Sicut enim in formis producendis, cauſa perficiens eſt, ex cuius actione directè conſequitur forma, ita in actibus eliciendis, cauſa perficiens eſt, ex cuius actione agens directè inclinatur ad agendum: peccatum autem non eſt forma ſed actus. Illud ergo per ſe poteſt eſſe cauſa peccati, quod poteſt mouere voluntatem ad actum peccati.*

XIV. His præclariſſimis verbis diſtinguit Sol Angelicus cauſam perficientem, ſeu phyſicè mouentem à cauſa ſuadente, ſiuè moraliter agente penes hoc, quòd ad actionem perficientis, ſiuè phyſicè mouentis ſtatim ſequitur actio agentis quod mouet: non autem ad actionem ſuadentis, ſiuè moraliter agentis. Oportet igitur, vt phyſicè mouens producat aliquid in agente, ad quod ſtatim ſequatur actio agentis moti: ac proinde motio mouentis phyſicè eſſentialem habeat cum actione agentis moti ab ipſo connexionem. Et hæc eſt ratio, cur D. THOMAS ſolum Deum aſſerat mouere phyſicè voluntatem ad agendum, ſiue quod idem eſt, immutare actum volendi ex parte voluntatis; quia ſolus Deus intra voluntatem operatur, & ſic ſolus Deus poteſt intra eam aliquid operari, ex quo ſtatim ſequatur inclinatio volentis in volitum.

Cùm igitur *Moliniſtæ* non agnoſcant aliquid produci in voluntate, quod eſſentialiter inferat conſenſum liberum, manifeſtum eſt eos halucinatos fuiſſe circa immutationem actus volendi, quæ fit ex parte voluntatis, eam confundendo cum immutatione, quæ fit ex parte obiecti. Qui error in principio vnus, non potuit in multiplicibus concluſionibus ex eo deductis, multifariam multiſque modis non multiplicari. *O lux ANGELICA reple cordis intima tuorum impugnantium!*

XV. Nec eſſentialis illa volitionis connexio cum eo, quod intra voluntatem producit Deus, præiudicat libertati arbitrij, quia illud recipit voluntas ſecundùm modum ſuum, quâ eſt habere poteſtatem ad oppoſita. Deus priùs adaptat voluntati ſecundùm exigentiam liberi arbitrij poteſtatem ad oppoſita, deinde producit aliquid, ex quo ſequitur inclinatio volentis ad vnum oppoſitorum: & ſic prædeterminat voluntatem ad vnum cum poteſtate ad oppoſitum.

Si dixeris, cum iſta prædeterminatione non poteſt componi oppoſitus actus, verum eſt: ſed duo ſunt valde diuerſa, actus oppoſitus, & poteſtas ad actum oppoſitum. Libertas actionis non exigit, vt cum prædeterminatione ad illam poſſit componi actus oppoſitus, ſed ſufficit quòd poteſtas ad actum oppoſitum cum prædeterminatione componatur. Incompoſſibilitatem actus oppoſiti cum prædeterminatione ad alium non tollere proximam poteſtatem faciendi actum oppoſitum, euidentiſſimè manifeſtat doctrina fidei de habitu charitatis. Fides docet, quòd voluntas informata charitate habeat proximam poteſtatem peccandi

mortaliter, & tamen ipſum peccatum mortale non poteſt componi cum charitate.

Eodem prorſus ſenſu docet Sol Angelicus, quòd voluntas informata prædeterminatione ad amorem Dei habeat proximam poteſtatem peccandi mortaliter, eſto peccatum mortale non poſſit componi cum prædeterminatione ad amorem Dei.

XVI. Quemadmodùm etiam poteſtas abijciendi charitatem nihil eſt aliud, quàm poteſtas proxima peccandi mortaliter; & ideo qui habet charitatem poteſt illam abijcere; ita poteſtas abijciendi prædeterminationem nihil eſt aliud, quàm poteſtas proxima peccandi mortaliter; & ideò optimè eodem ſenſu dicetur, quòd voluntas prædeterminata ad amorem Dei poteſt prædeterminationem abijcere. Et ſicut qui per totam vitam ſuam manet in charitate habet poteſtatem proximam peccandi mortaliter quæ nunquam reducetur ad actum, nec fruſtranea dicitur illa poteſtas: ita & qui prædeterminatur ad amorem Dei habet poteſtatem proximam peccandi mortaliter, quę nunquam reducetur ad actum, nec fruſtranea debet dici iſta poteſtas. Vide Thomiſtarum Triumphum Firmatum. *f*

f. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. c. 5. §. 4.

Qui hæc non intelligunt, Deum potius pro accipiendâ intelligentiâ deprecentur, quàm nouis ſubtilitatibus ſuas adinuentiones ſtabilire conentur. Iudicet CORDATVS LECTOR, an illis non poſſit reponi, quod Iuliano obſcuritatem obiectanti reſpondit S. AVGVSTINVS g his verbis: *Quia tenebras veſtras redarguunt, vobis lucida non videntur, & quæcumque vobis ſua radiante luce moleſta ſunt, contra illa cor clauditis, ne inde nox fugetur erroris.* O veritas Deus fac nos omnes vnum tecum in charitate perpetua!

g. lib. 3. op. imperf. c. 61.

XVII. Forſitan obijciet *Moliniſta*, motus indeliberatos gratię præuenientis eſſe actus voluntatis, & Deum applicare phyſicè voluntatem ad iſtos actus; ac proinde & in illorum ſententia dari immutationem actus volendi ex parte voluntatis.

Fateor, id poſſe eos aſſerere reſpectu actus volendi indeliberati. Verùm de actu volendi libero res agitur. Ad actum volendi liberum mouetur aliquis & *ex parte obiecti*, & *ex parte voluntatis*. Motus indeliberati ad bonum mouent voluntatem *ex parte obiecti* ad conſenſum liberum; inquantùm faciunt videri conueniens illud bonum ad quod excitant. Nam conueniens relatiuè dicitur. Secundùm diuerſam conditionem appetentis, aliquid apprehenditur vt conueniens, quod vt conueniens non apprehenderetur, ſi appetens eſſet in alia diſpoſitione. v. g. Qui friget, apprehendit ignem vt bonum ſibi conueniens, quem vt ſibi diſconueniens exiſtimaret, ſi caleret. Sic irato vindicta videtur bonum conueniens, quę non talis videretur ſi iratus non foret. Ad eum modum voluntas exiſtens cum motibus indeliberatis excitantibus eam ad iuſtitiam, facit, quòd iuſtitia apprehendatur vt conueniens, quæ vt talis non videretur ſine iſtis motibus. Verùm quia ad iſtam apprehenſionem, & ad prædictos motus indeliberatos non ſtatim ſequitur conſenſus liber, ſed actus oppoſitus poteſt cum eis componi, nonniſi *ex parte obiecti* mouent voluntatem ad conſenſum liberum.

XVIII. Præclarè id oſtendit Præceptor ANGELICVS & Magiſter noſter his verbis: *h* *Id quod apprehenditur ſub ratione boni & conuenientis, mouet voluntatem per modum obiecti. Quod autem aliquid videatur bonum & conueniens ex duobus contingit,*

h. 1. 2. q. 9. a. 2.

Digitized by Google

tingit, ſcilicet ex conditione eius quod proponitur, & eius cui præponitur: conueniens enim ſecundùm relationem dicitur, vnde ex vtroque extremorum dependet. Et inde eſt quòd iuſtus diuerſimodè diſpoſitus, non eodem modo accipit aliquid vt conueniens, & vt non conueniens. Vnde Philoſophus dicit 3. ethic. Qualis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. Manifeſtum eſt autem quòd ſecundùm paſſionem appetitus ſenſitiui immutatur homo ad aliquam diſpoſitionem. Vnde ſecundùm quòd homo eſt in paſſione aliqua, videtur ſibi aliquid conueniens, quod non videtur ei extra paſſionem exiſtenti: ſicut irato videtur (vindicta) *bonum quod non videtur quieto: & per hunc modum ex parte obiecti, appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem.*

De his plura in FIRMATO THOMISTARVM TRIVMPHO *i* In quò etiam notauimus, plures in eodem cum *Moliniſtis* luto verſatos fuiſſe circa notionem libertatis, non diſcernentes, quòd aliqua ſit libertas ex parte obiecti ſingularis, nempe *libertas ſpecificationis*; aliqua ſit libertas ex parte voluntatis (cuius quaſi forma eſt obiectum vniuerſale) nempe *libertas exercitij*. Eò ipsò quòd non ritè diſcernant, quid habeat actus ex obiecto, & quid habeat ex voluntate, neceſſe eſt vt confundant vtramque libertatem; & conditiones ad eſſentiam libertatis requirant, quæ non poſſunt perfectiſſimæ libertati conuenire, qualis eſt libertas ſeparata à poteſtate peccandi. Vide quæ aduerſus R. P. DE FOVRMESTRAVX *l* de hac materiâ diſſeruimus.

i. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3 cap. 4. 5. 6. num. 249. & ſeq.

l. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. cap. 5. tom. 2. habetur Opuſculum integrum de libertate.

§. IV. *Veram Chriſti ignorat gratiam, quam geminus defendit Eccleſiæ Sol, qui eam præuenire ex parte voluntatis non agnoſcit.*

XIX. INdiſſolubilis hic eſt primi Funiculi nodus. Nam ſi vera Chriſti gratia, quam geminus defendit Eccleſię Sol, ſit ex parte voluntatis præueniens; oportet eam à *Moliniſtis* ignorari, ex hoc ſolum quòd lucernam ANGELICAM de duplici actus voluntatis immutatione poſuerint ſub modio.

Veram autem Chriſti gratiam vt à gemino Eccleſiæ Sole defenditur, eſſe ex parte voluntatis præuenientem, hac vnâ probatur demonſtratione. Omnis gratia ad quam ſtatim ſequitur actus liber, eſſentialem cum illo habens connexionem, eſt gratia ex parte voluntatis præueniens. Atqui vera Chriſti gratia, vt à gemino Eccleſię Sole defenditur, eſt gratia ad quam ſtatim ſequitur actus liber, eſſentialem cum illo habens connexionem: ergò vera Chriſti gratia, vt à gemino Eccleſię Sole defenditur, eſt gratia ex parte voluntatis præueniens. Maior eſt ex dictis euidens, quibus lucernam accendimus ANGELICAM paragraphis præcedentibus. Eam etiam admittunt *Moliniſtæ* iuxta verba R. P. DE FOVRMESTRAVX *in ſuâ iniuſtâ defenſione.* Ipſe expendens *m* verba Concilij Tridentini de gratiâ præueniente, *quippe qui illam & abijcere poteſt*, docet hęc verba, omnem vim prædeterminatiuam omnino pręſcribere. *Quomodo enim*, inquit, *abijcere poſſet, ſi voluntatem phyſicè prædeterminaret? ſi actum illius irreſiſtibiliter inferret? ſi eſſentialem haberet cum eo connexionem.* Quibus verbis manifeſtè concedit gratiam, quę irreſiſtibiliter infert actum, quæ eſſentialem habet cum actu connexionem phy-

m. num. 182.

Digitized by Google

ſicè prædeterminare voluntatem, quod idem eſſe dicimus, ac eſſe ex parte voluntatis præuenientem.

Tota difficultas eſt in minori, nempe quòd GRATIA AVGVSTINIANA ET ANGELICA ſit gratia, ad quam ſtatim ſequitur actus eſſentialem habens cum illo connexionem. Multipliciter id probatur.

XX. *Primò* minorem demonſtrat natura auxilij *quo*, quam explicat S. AVGVSTINVS his verbis: [n] *Aliud eſt adiutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adiutorium quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus viuere, nec tamen cum fuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adiutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit. Quia & ſi data fuerit homini beatitudo continuò fit beatus, & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non conſequenter faciunt vt homo viuat, ſed tamen ſine illis non poteſt viuere.* Manifeſtum eſt ex verbis iſtis, quòd de ratione auxilij *quo* ſit vt ad illud ſtatim ſequatur actus, & ſine illo non ſequatur, ac proinde eſſentialem habet cum actu connexionem. Eſt autem GRATIA AVGVSTINIANA auxilium *quo*, & non tantùm auxilium *ſine quo non.* In eo enim diſtinguit loco citato gratiam Chriſti medicinalem à gratiâ homini ſano datâ.

n. lib. de corrept. & grat. cap. 12.

XXI. Secundò minorem demonſtrat modus, quo GRATIA AVGVSTIANA docet, quem ſic deſcribit S. AVGVSTINVS prędicator veritatis & Doctor gratiæ. [o] *De iſto docendi modo, etiam Dominus ait, omnis qui audiuit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem & didicit ſibi eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit. Prorſus non rectè dicitur de iſto docendi modò quo per gratiam docet Deus. Si enim ſicut veritas loquitur, omnis qui didicit, venit: quiſquis non venit profectò non didicit.* Et cap. præcedenti: *Et hoc modo quiſquis diſcit, agit omninò quidquid agendum didicerit.*

o. lib. de grat. Chriſti cap. 14.

Quid clarius! Tunc aliquis didicit per gratiam, quando venit ad eum, ad quem didicit eſſe veniendum, quando agit omnino quidquid agendum didicit. Qui verò didicit eſſe veniendum & non venit; eſſe aliquid agendum, & non agit, ille per gratiam non didicit, ſed per legem. Quod etiam ibidem expreſſit dicens: *Hoc ſit certiſſimum indicium, quòd à Deo didiceritis, ſi id quod didiceritis, feceritis. Iſto modo ſunt omnes ſecundùm propoſitum vocati, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis, docibiles Dei. Qui autem nouit quid eſt, quod fieri debeat, & non facit, nondum a Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundum legem, non ſecundùm Spiritum, ſed ſecundùm litteram.*

En quod docet gratia, docet & lex; quod docet Spiritus, docet & littera vtrumque docet, quid ſit faciendum, v. g. Deum eſſe amandum. Differentia eſt, quòd ad doctrinam gratię & Spiritus ſtatim ſequitur Dei amor, & ſi non ſequatur Dei amor non eſt doctrina gratię & Spiritus, ſed doctrina legis & litterę Illa eſt igitur GRATIA AVGVSTINIANA, ad quam ſtatim ſequitur actus, eſſentialem cum eo habens connexionem, vt omnis qui eam habuerit faciat, & cui non data fuerit, non faciat. Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM FIRMATVM. [p]

p. THOMISTAR. TRIVMPHVS cap. 2. §. 4. & 5.

XXII. Diſ-

Digitized by Google

XXII. Diſce, CORDATE LECTOR, phraſim AVGVSTINIANAM, dum ait q *Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei, non litterâ, ſed ſpiritu; non lege præcipiente, minante, promittente; ſed ſpiritu exhortante, illuminante, & adiuuante.* Filij Dei aguntur, & agunt id, ad quod agendum excitantur, & illuminantur. Quando agunt illud ad quod excitantur, gratia & ſpiritus eſt motio; quando autem non agunt illud ad quod excitantur, legis & litteræ eſt motio. Ex quo vniuerſaliter concluditur, quod omne auxilium excitans ad agendum cum quo componi poteſt non actio, ſit legis & litteræ auxilium, non verò gratiæ & ſpiritus auxilium. Non negamus, quòd illud auxilium excitans ad agendum, non tamen eſſentialiter inferens actum, ſit à Chriſto, & eo ſenſu poteſt dici gratia Chriſti; ſed cum AVGVSTINO volumus, quòd non ſit proprium gratię medicinalis Chriſti, quia illi eſt commune cum gratiâ Angelis & Adamo datâ. Sicut qui dicit ſentire non eſt hominis natura, non negat, quòd homo ex ſuâ naturâ habeat quod ſentiat, ſed intendit hoc non eſſe proprium naturæ humanæ, vt condiſtinguitur ab alijs animantibus. Ad iſtum ſenſum gratia habitualis, omnes virtutes, adiutorium ſine quo, omne poſſibilitatis auxilium, omnis denique actualis gratia cum quâ ſtat non actio, non pertinent ad medicinalem Chriſti gratiam, ſecundùm quam medicinalis gratia per Chriſtum data, diſtinguitur ab omni aliâ. Huius enim gratię proprium eſt eſſentialis connexio cum actu, ad quem dat aliquod poſſe. Nam ſi ſolum actum, & nihil ex parte poſſe conferat, non erit auxilium ſanans. Vt autem aliquid ex parte poſſe conferat, ſufficit quòd ſit vincens concupiſcentiam. Hic eſt proprius gratię medicinalis per Chriſtum datæ effectus, *implere præceptum vincendo concupiſcentiam.* Hæc eſt etiam hominis ſani, & infirmi differentia, quòd hic indiget, & GRATIA PRÆDETERMINANTE & ſimul VINCENTE concupiſcentiam; homo autem ſanus ſolùm indigeat GRATIA PRÆDETERMINANTE TANTVM, nullum ex parte poſſe patiens impedimentum. Hæc fusè proſequuti ſumus in THOMISTARVM TRIVMPHO, tam tomo primo capite ſecundo articulo primo; quàm tomo tertio aduerſus *recentem Moliniſtam* IN PERPETVVM FIRMATO.

q. Serm. 13. de verbis Apoſtoli.

THOMISTAR. TRIVMPHVS.

XXIII. Quàm benè conueniunt, & in vna ſede morantur AVGVSTINVS & THOMAS! Vnus ſine altero nequit conuenienter intelligi. Qui enim cum D. THOMA non diſtinguere nouit motionem *ex parte voluntatis* à motione *ex parte obiecti*, nec cum S. AVGVSTINO diſcernere ſciet adiutorium gratię ab adiutorio legis, & Spiritum adiuuantem excitantem & illuminantem, à litterâ minante & præcipiente. Qui cum D. THOMA non percipit motionem *ex parte obiecti* eſſe motionem ab exteriori, & motionem *ex parte voluntatis* eſſe motionem ab interiori, non percipiet cum S. AVGVSTINO ſolam gratiam inferentem eſſentialiter actum ad Deum *dantem incrementum* pertinere; omnem verò aliam, cum quâ poteſt componi non actio, *plantanti & riganti* conuenire. Nec quo ſenſu S. AVGVSTINVS vocationem dixerit congruam, gratiam autem Dei ſemper eſſe bonam intelliget ille, qui duplicem, quam docuit S. THOMAS, non nouit motionem, *& ex parte obiecti, & ex parte voluntatis.* Nam motio *ex parte obiecti* quandoque congrua eſt, vt dum timido proponuntur pœnæ inferni, audaci ſpes vitæ æternæ, iracundo vindicta peccatorum, amanti gloriam gloria æterna; at motio *ex parte voluntatis* ſemper eſt bona, quia ſemper cum ef-

Digitized by Google

fectu coniuncta.

XXIV. Qui efficaciam motionis *ex parte voluntatis* ex D. THOMA non didicit, de qua aſſeruit, [a] *quòd ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni quòd voluntas non moueatur*, & alibi, [b] *impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis; & quod ipſe charitatem amittat peccando*; nec ex S. AVGVSTINO diſcet, quæ ſit illa gratiæ efficacia, de qua ait: [c] *ſubuentum eſt infirmitati humanæ, vt diuinâ gratiâ INDECLINABILITER & INSVPERABILITER ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Ruſus: [d] *Infirmis ſeruauit, vt ipſo donante INVICTISSIME quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere INVICTISSIME nollent.*

a. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3.
b. 2. 2. q. 29. a. 11.
c. de corrept. & grat. c. 12.
d. Ibid.

Qui in lumine D. THOMÆ non penetrat, ſolum Deum *ex parte voluntatis* immutare actum volendi, quia ſolus Deus intra voluntatem operatur; nec in lumine S. AVGVSTINI mirabilem & ineffabilem penetrabit modùm, quo gratia Dei operatur. *Legant ergo*, ait ille, [e] *atque intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ inſonante forinſecus, ſed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Illud mirabile atque ineffabile eſt, quod ſoli Deo competit. Mouere *ex parte obiecti* competit & creaturæ Mirabilis igitur & ineffabilis modus operandi eſt ille, quo Deus ſolus intra voluntatem operatur, inclinando eam quocumque voluerit. Præterea motio ad bonum *ex parte obiecti* eſt bonis & malis communis; Motio ad bonum *ex parte voluntatis* bonis eſt propria; Quarè quamcumque fateantur gratiam *Moliniſtæ* non eam, quæ diſcernit bonos à malis fatentur, qui motionem *ex parte voluntatis* penitùs ignorant: & ideò *internam atque occultam, mirabilem atque ineffabilem Dei poteſtatem operandi in cordibus hominum* ſemper ignorabunt.

e. de grat. Chriſti cap. 24.

XXV. In hac denique *ex parte voluntatis* motione euidens redditur ratio, cur vterque Eccleſiæ Sol efficacitatem gratię mouentis liberum arbitrium reduxerint ad omnipotentiam diuinam. Nota enim eſt S. AVGVSTINI doctrina, quod voluntas [d] *inclinatur à Deo quo ipſe voluerit, & quando voluerit omnipotentiſſimâ poteſtate: ita vt volenti Deo ſaluum facere nullum hominis reſiſtat arbitrium; nulla voluntas diuinam impediat voluntatem, vel ſuperet poteſtatem; humanæ voluntates non poſſunt reſiſtere; voluntates hominum Deus magis habeat in ſua poteſtate quàm ipſi ſuas.* Communis etiam eſt D. THOMÆ doctrina, [e] quæ *ex eo quòd voluntas ſit efficaciſſima; ex eo quòd Deus ſit agens fortiſſimum. ex eo quòd nihil voluntati diuinæ reſiſtat*, concludit, *quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingènter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.* Motio *ex parte obiecti* non ſubdit ſibi voluntatem, niſi fuerit motio Dei clarè viſi. Motio *ex parte voluntatis* ſubdit ſibi voluntatem, vnde hęc eſt abſoluta, illa conditionata. Obiectum dicit exteriùs voluntati ſi vis bonum, ego ſum bonum. Voluntas dicit ſibi interiùs volo bonum, ex qua volitione determinat ſe ad volendum obiectum: ſolus ergò ille poteſt voluntatem interiùs determinare ad particulare obiectum, qui ad ipſam rationem boni determinauit eam, nempe Deus omnipotens & totam virtutem voluntatis præcontinens, & per illapſum ei intimè præſens. Ipſe ergo Deus ex omnipotentiſſimâ ſuâ poteſtate, quâ voluntati indidit inclinationem in bonum vniuerſale, po-

d. de corrept. & grat. c. 14.
e. 1. p. q. 19. a. 8. verit. q. 23. a. 5. 1. Cont. gent. cap. 85.

Digitized by Google

poteſt eam interiùs inclinare, in quodcumque voluerit, & quando voluerit, & quomodocumque voluerit, neceſſariò, aut contingenter prout ipſe decreuerit. Lege THOMISTARVM TRIVMPHVM; *f* & inuenies inuictè probatum, ſcientiam Mediam, de quâ *Molina* gloriatur, detrahere omnipotentiæ diuinæ, & ſolùm cauſare motionem *ex parte obiecti*, non motionem *ex parte voluntatis*.

f. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1.c.1. a.2.

§. V. *Contra dicta obÿcitur celebris S. AVGVSTINI, & ſæpe decantata doctrina.*

XXVI. Celebris eſt S. AVGVSTINI & ſæpè decantata de delectatione trahente voluntatem doctrina, quæ motioni *ex parte voluntatis* videtur opponi. Inde maximum deduci putant *Moliniſtæ* argumentum ad expugnandam GRATIAM PHYSICE PRÆDETERMINANTEM. Quidam etiam ſine lumine Solis Angelici S. AVGVSTINVM intuentes, à mente illius longè aberrarunt, vbi ſe putant eam maximè aſſequutos. Diſce hinc, CORDATE LECTOR, quanta ſit luminis Angelici neceſſitas, vt rectâ viâ ad veritatem DOCTRINÆ AVGVSTINIANÆ tendas. Nam ſi cum *Moliniſtis* ad ſiniſtram deflexeris, occurret tibi S. AVGVSTINVS ſub maximâ caligine conſtitutus, & doctrinam S. AVGVSTINVM impugnantium pro verâ S. AVGVSTINI doctrinâ ſubſtitues, vt fusè & inuictè probat THOMISTARVM TRIVMPHVS. *g* Si cum alijs ad dexteram ieris, litteram occidentem inuenies, non Spiritum viuificantem, qui nonniſi Angelicus eſſe poteſt. Tanta enim eſt Doctrinę AVGVSTINIANÆ profunditas, vt nonniſi alterius Eccleſiæ Solis luce penetrari poſſit. Qui ab illâ ANGELICA luce ſe auerterit, proprio confidens & ſtudio, & ingenio, neceſſe eſt vt ad dexteram declinet, litterę occidenti inhęrens.

XXVII. Ante omnia proponenda eſt S. AVGVSTINI doctrina: quę nullibi expreſſiùs ad propoſitum habetur, quàm dum explicat iſta Chriſti verba: † *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum:* quibus neceſſitatem diuinæ gratiæ ad fidem demonſtrabat Chriſtus Dominus: cui inhærens S. AVGVSTINVS ait: *h*

Magna gratiæ commendatio. Nemo venit niſi tractus. Si trahitur, ait aliquis, inuitus venit: ſi inuitus venit, nec credit: ſi non credit, nec venit. Non enim ad Chriſtum ambulando currimus, ſed credendo. Quomodo ergo voluntate credo, ſi trahor?

Soluendo quæſtionem, diuini tractus ſic explicat naturam: *Ego dico, parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui eſt quædam voluptas cordis cui panis dulcis eſt ille cæleſtis. Porrò ſi Poëta dicere licuit,* Trahit ſua quemque voluptas, *Non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio. ſed delectatio quantò fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitiâ, delectatur ſempiternâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt.*

Et infrà: *ramum, viridem oſtendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur. Et quia quò currit, trahitur; AMANDO TRAHITVR, ſine læſione*

g. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1.cap. 1. a. 2. & 4. cap. 2. in Collationibus Alphabeticis. tomo 3.c. 2. §.6. &c. cap.6.§.3.

† Ioan. 6.

h. tract. 26. in Ioan.

Digitized by Google

læſione corporis trahitur; *CORDIS VINCVLO TRAHITVR*, *ſi ergo iſta, quæ inter delicias & voluptates terrenas REVELANTVR AMANTIBVS, trahunt, quoniam verum eſt*, Trahit ſua quemque voluptas : *non trahit REVELATVS CHRISTVS A PATRE? Quid enim fortius deſiderat anima, quàm veritatem?*

XXVIII. Præterea opponens delectationem delectationi ſemper docet, nec operari ſecundùm id quod magis delectat. *Regnant ergo*, inquit S. Doctor, *i ſpiritales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem iſta bona, ſi tantum delectant, & ipſa teneant animam in tentationibus, ne in peccati conſentionem ruat. QVOD ENIM AMPLIVS NOS DELECTAT, SECVNDVM ID OPEREMVR NECESSE EST, verbi gratia occurrit forma ſpecioſa fæmina, & mouet ad delectationem fornicationis; ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima; & ſincera ſpecies caſtitatis per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc viuimus, & ſecundùm hunc operamur, vt non regnante in nobis peccato, ad obediendum deſiderijs eius, ſed regnante iuſtitia per charitatem, cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoſcimus.*

i. In Epiſt. ad Galat.

Qua de cauſa VICTRICEM appellat DELECTATIONEM, quâ trahimur ad operandum. Nam liber ſecundo de peccatorum meritis docet, [b] Deum ideò etiam Sanctis ſuis alicuius operis iuſti *aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel VICTRICEM DELECTATIONEM, vt cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lumen & ſuauitatem, quâ det fructum ſuum cura eorum.* Et ad Bonifacium docet concupiſcentiam eſſe peccatum, quòd *peccandi delectatione mouentur, etſi ei, VINCENTE DELECTATIONE iuſtitiæ, non conſentiatur.* Et in Enchiridio : *Concupiſcitur aduerſus carnem fortiore robore charitatis, vt ex fide iuſtus viuat, iuſtoque viuat inquantum non cedit mala concupiſcentia, VINCENTE DELECTATIONE iuſtitia.*

b. lib. 2. de peccat. mon. c. 19.

Hæc eſt fulgentiſſimi Eccleſiæ Solis doctrina, quam *Moliniſtæ* deprauant detorquendo in contrarium ſenſum; hęc eſt illa doctrina, quę ſine lumine Angelico à quibuſdam alijs intellecta, non fuit ad mentem S. AVGVSTINI ab eis expoſita. Vtrumque oſtendamus.

XXIX. Inſurgunt primò *Moliniſtæ* dicentes, an non hæc apertè demonſtrant, motionem gratię tenere ſe *ex parte obiecti*, non verò *ex parte voluntatis*? Veritas oſtenſa mouet *ex parte obiecti* voluntatem deſiderantem veritatem, non minus ac ramus viridis mouet ouem, & nux demonſtrata puerum. Vbi ergo phyſica *ex parte voluntatis* prædeterminatio?

Perpendant iſta verba, *amando trahitur, cordis vinculo trahitur*, & intelligent, obiectum trahere mediante amore; ſuo amore trahitur voluntas. Quomodo igitur aliquid ſe habet ad cauſandam amorem, ita ſe habet ad trahendum voluntatem. Amor eſt actus voluntatis; ac proinde medius inter voluntatem, & obiectum, ab vtroque dependens. Influxus moralis obiecti non excludit influxum phyſicum voluntatis; & conuersò. Vterque requiritur, ſi non influat moraliter obiectum, non influet phyſicè voluntas; ſi voluntas non influat phyſicè, non influet obiectum moraliter. Hæc eſt differentia, quòd obiectum non eſt cauſa, cur voluntas hic & nunc influat, ſed ipſa eliciendo amorem ſubdit ſe obiecto, & eſt cauſa, cur hic & nunc ab obiecto trahatur. Ex quo patet, id quod eſt

cauſa.

Digitized by Google

cauſa, cur voluntas phyſicè eliciat amorem eſſe maximè cauſam, cur voluntas ab obiecto moraliter trahatur, & obiectum ab eo accipere quòd infallibiliter trahat.

Vtrumque tractum tam ex parte obiecti, quàm ex parte mouentis voluntatem expreſſit neruosè S. AVGVSTINVS in verbis præallegatis dicens: *Si ergo iſta quæ inter delicias & voluptates terrenas REVELANTVR AMANTIBVS, trahunt, quoniam verum eſt*, trahit ſua quemque voluptas, *non trahit REVELATVS Chriſtus A PATRE?* Non dixit, *non trahit Chriſtus? ſed dixit non trahit Chriſtus reuelatus à Patre?* ſatis innuens, quòd Chriſtus quoniam *beatitudo, iuſtitia, vita æterna, & veritas* eſt, trahit moraliter, ſi tamen reueletur à Patre faciente, quòd voluntas hic & nunc eliciat amorem; ſic Chriſtus trahit reuelatus amanti, ſicut voluptates terrenæ trahunt amantibus reuelatæ. Nec incongruè Pater faciens amantem dicitur trahere *ex parte voluntatis*, & Chriſtus reuelatus *ex parte obiecti*; quia motio *ex parte voluntatis* ad omnipotentiam, quæ Patris eſt, reducitur; motio *ex parte obiecti* ad doctrinam & ſapientiam; quæ Filio appropriatur.

XXX. Clariſſimè ſe explicuit S. AVGVSTINVS libro de Prędeſtinatione Sanctorum,[m] vbi ait; *Ergo trahi à Patre ad Chriſtum: & audire ac diſcere à Patre, vt veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quàm DONVM ACCIPERE à Patre, QVO CREDAT in Chriſtum. Neque enim audientes euangelium à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernebat, qui dicebat, nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Fides igitur & inchoata, & perfecta donum Dei eſt; & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare.* Donum, quo creditur, diſcernens credentem à non credente, eſt ita cauſa actus fidei, vt cum eo non poſſit componi *non actus*: & conſequenter eſt auxilium inferens eſſentialiter actum, & non omnibus datum: quod proinde mouet ex parte voluntatis. *Trahi à Patre ad Chriſtum* eſt accipere tale auxilium: ergo *Trahi à Patre ad Chriſtum* eſt moueri *ex parte voluntatis* ad credendum ſecundùm S. AVGVSTINVM. Quarè oportet *Moliniſtas* confiteri gratiam ex parte voluntatis præuenientem, & eſſentialiter inferentem actum, cum quâ non poſſit componi non actus, ſi, vt ait S. AVGVSTINVS, non voluerint *manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare.*

m. de præ-deſt. Sanct. cap. 8.

Conſonat ſapientiſſimo Magiſtro fideliſſimus diſcipulus docens,[n] *quod tractus ille non importat violentiam, ſed operationem diuinam, quâ operatur in liberum arbitrium vertendo id quocumque voluerit. Et ſic illud ad quod homo trahitur, aliquo modo ad liberum arbitrium pertinet*, Operari in liberum arbitrium eſt mouere, *ex parte voluntatis*, & eſſe cauſam, cur liberum arbitrium eliciat hic & nunc amorem cuiuſcumque obiecti voluerit Deus.

n. de verit. q. 28. a. 4. ad 2.

Digitized by Google

§. VI. *Qui ſine lumine ANGELICO AVGVSTINIANÆ adhæſerunt litteræ, Spiritu caruerunt intelligentiæ.*

XXXI QVidam doctrinam AVGVSTINIANAM nuper recitatam ſecundùm litteram nimiùm conſiderantes, ad dexteram declinarunt, defectu luminis ANGELICI rectas AVGVSTINIANÆ veritatis ſemitas edocentis. Exiſtimarunt DELECTATIONEM VICTRICEM, de qua S. AVGVSTINVS loquitur, eſſe quemdam actum indeliberatum, quo præueniri debet homo infirmus ad iuſtitiam, ſicut motibus indeliberatis concupiſcentiæ præuenitur ad iniuſtiam.

Priuſquam eos ſpiritu caruiſſe intelligentiæ demonſtrem, obſerua, CORDATE LECTOR, quòd in puncto contra *Moliniſtas* controuerſo, nulla ſit hìc differentia inter gemini Eccleſiæ Solis diſcipulos. Nam prædicti litteræ adhærentes concedunt actum illum indeliberatum prædeterminare phyſicè voluntatem ad conſenſum liberum, ita vt cum iſto actu indeliberato incompoſſibilis ſit non conſenſus. Vnde fatentur, quòd aſſertores PRÆDETERMINANTIS GRATIÆ veram Chriſti agnoſcant gratiam, quam penitùs ignorare dicunt *Moliniſtas*; ſed alia ex philoſophorum libris volunt eſſe ſuperaddita, quæ diſcrimini AVGVSTINIANO de gratia hominis ſani & infirmi non videntur eis accomoda. Verùm vt ad concordiam eos reduceremus, diſtinximus cum Sole Angelico in THOMISTARVM TRIVMPHO ♦ duplicem gratiam PHYSICE PRÆDETERMINANTEM, vnam ad primum actum, quam diximus *ſpecialem*, aliam ad ſecundum actum ex primo deductum, quam vocauimus *vniuerſalem*; & in hoc poſuimus differentiam hominis ſani ab infirmo, quòd qui erat ſecundus actus in homine ſano, videlicet amor *iuſtitiæ in particulari operabili*, ſit primus actus in homine infirmo; & conſequenter quòd homo infirmus indigeat GRATIA SPECIALITER PRÆDETERMINANTE, ad eumdem actum, ad quem homo ſanus ſolùm indigebat GRATIA VNIVERSALITER PRÆDETERMINANTE.

♦ THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 1. & tom. 3. cap. 3.

XXXII. Quæ concordia clarior eluceſſet, ſi in terminis eorum illa proponatur. Duos etiam admittunt actus, delectationem iuſtitiæ, & amorem liberum iuſtitiæ, ad quem ex præcedente illa delectatione ſe determinat voluntas. En primus & ſecundus actus. Auxilium inſpirans delectationem iuſtitię eſt gratia SPECIALITER PRÆDETERMINANS. Auxilium inſpirans amorem iuſtitię vi præcedentis delectationis eſt gratia VNIVERSALITER PRÆDETERMINANS. Homo ſanus delectabatur iuſtitiâ in vniuerſali, & ex ſolâ illâ delectatione determinabat ſe ad volendum & perficiendum quodcumque particulare operabile, ſufficientiſſimam habens ad id facultatem, eò quòd, vt ait S. AVGVSTINVS, *a ille nullâ tali rixâ à ſeipſo aduerſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſuâ ſecum pace fruebatur.* Loquitur de rixa, quâ *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.*

a. de correp. & grat. c. 11.

In

In quâ ſufficientiſſimâ facultate, non excluditur indigentia concurſus generalis, ſicut & ipſi concedunt. Addant ſolummodo, quòd concurſum generalem Deus exhibet vt Dominus,ſecundùm vtrumque Solem;non vt pediſſequus, ſecundùm *Moliniſtas*. Nulla ergo erat in homine ſano poteſtatis indigentia, ſed omni creaturæ conueniens poteſtatis dependentia: ex quâ & ipſe erat ſervus iuſtitiæ, ſed ſervus valens viribus & plenus robore, qui ſemper motioni ſubordinatur Domini.

Homo infirmus propter illam rixam præuenientis concupiſcentię non poteſt ex ſolâ delectatione iuſtitiæ in vniuerſali ſe determinare ad particulare operabile contrarium delectationi concupiſcentiæ;eò quòd licet iuſtitia ſecundùm ſe placeret, non tamen *coniuncta priuationi delectationis concupiſcentiæ* quę ipſi hic & nunc ſecundùm ſe placet. Quarè neceſſe eſt vt Deus inſpiret ei delectationem iuſtitiæ hic & nunc *coniuncta priuationi delectationis concupiſcentiæ*, ad hoc quòd poſſit ex amore iuſtitiæ quodcumque operabile particulare velle, & perficere. Sic in homine infirmo non ſolùm eſt dependentia, ſed & indigentia poteſtatis; fitque ipſe ſervus iuſtitię, ſed infirmus, & pluribus impeditus, cui vltra motionem Domini, tollenda ſunt impedimenta, & infirmitas eſt roboranda. Conſule locis citatis THOMISTARVM TRIVMPHVM.

Quibus patet, quòd aliud auxilium ſine quo habebat homo ſanus, nempe *delectationem iuſtitiæ in vniuerſali*, & aliud auxilium ſine quo habet homo infirmus, nempe *delectationem iuſtitiæ in particulari*. Patet etiam quòd ſi Deus ſolum auxilium *ſine quo* hominis ſani tribueret homini infirmo, ſemper deficeret, vbi eum concupiſcentia præueniret. Hoc eſt quod docet S. AVGVSTINVS his verbis. [b] *Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ huius, in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei ſine quo perſeuerare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent*. Id eſt,ſi cum ſolâ delectatione iuſtitiæ in vniuerſali relinqueretur voluntas hominum infirmorum, ex quâ cum ſolo concurſu generali in iuſtitia manerent ſi vellent, nec Deus delectatione iuſtitiæ in particulari in eis operaretur vt vellent, *inter tot ac tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeuerare non poſſent, quia deficiente infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, vt poſſent*, id eſt, non vellent iuſtitiam *priuationi delectationis concupiſcentiæ coniunctam*, ſine quâ non poſſent operabile particulare hic nunc occurrens perficere, aut ſolùm vellent iuſtitiam in vniuerſali, quę etiam non ſufficit, vt poſſint vincendo concupiſcentiam ad volendum particulare operabile ſe determinare.

[b] de corrept. & grat. c. 12.

XXXIII. Modò oſtendamus eos AVGVSTINIANÆ non habuiſſe ſpiritum intelligentiæ, qui ſine luce ANGELICA adhæſerunt litteræ. Primò occurit prædictus actus indeliberatus delectationis. Dico, & audacter pronuntio,hunc actum nullum habere in S. AVGVSTINO fundamentum. Id efficaciter probo ex ipſorum documentis. Non enim volunt delectationem propriè ſumi pro illo actu particulari, qui etiam gaudium dicitur, per quem animus in bono præſente cum quadam ſatisfactione & fruitione conquieſcit; ſed provt eſt actus ab amore indiſtinctus. Eſt enim amor prima immutatio appetitus ab

Digitized by Google

appetibili, quâ coaptatur appetitus ipſi appetibili, & ei connaturalizatur, diciturque complacentia appetibilis, per quam ait D. THOMAS c *appetitus amans ſe habet ad id quod amat, ſicut ad ſeipſum vel aliquid ſui*: ex quo fit vt omne amatum ſit delectabile amanti. Probantque ex eodem S. Doctore dicente: d *quòd amor & concupiſcentia delectationem cauſant: omne enim amatum eſt delectabile amanti, eò quòd amor eſt quædam vnio vel connaturalitas amantis ad amatum. Similiter etiam omne concupitum eſt delectabile concupiſcenti: cum concupiſcentia ſit præcipuè appetitus delectationis.*

c. 1. 2. q. 26. a. 2. ad 2.

d. 1. 2. q. 32. a. 3. ad 3.

Hoc ſuppoſito, videlicet delectationem iuſtitię nihil eſſe aliud, quàm amorem & concupiſcentiam iuſtitię, diſtinguunt duos iuſtitię amores, vnum indeliberatum, alium deliberatum. Amorem indeliberatum iuſtitiæ dicunt eſſe DELECTATIONEM VICTRICEM iuſtitiæ, quâ ita pulſat Deus & trahit hominis voluntatem, vt infallibiliter liberum ei præbeat conſenſum; ſiquidem cum iſto amore iuſtitiæ indeliberato non poteſt componi non conſenſus, ſi fuerit fortior amore concupiſcentiæ indeliberato: ſi verò fuerit minus fortis, non ſequetur conſenſus liber. Neceſſitatem iſtius amoris indeliberati, quem pręuenire docent quemlibet actum bonum, deſumunt ex infirmitate hominis. Nam vbi homo eſt ſanus, non prærequiritur præueniens ille amor iuſtitiæ indeliberatus.

XXXIV. Diſtinctio iſta nullum habet ſolidum in Sancto AVGVSTINO fundamentum. Imprimis nullo S. AVGVSTINI teſtimonio firmatur. Millies dixit S. AVGVSTINVS, opus bonum fieri amore iuſtitiæ, delectatione iuſtitię vincente delectationem concupiſcentiæ, ſed nuſquam aſſeruit iſtum amorem eſſe indeliberatum, iſtam delectationem eſſe neceſſariam. Et cùm ad ſingulos actus bonos concurrant ſemper iſti duo amores, concurrent etiam duæ bonæ voluntates, & duæ charitates; bona enim voluntas, & charitas nihil aliud ſunt (vt & ipſi ſecundùm S. AVGVSTINVM prædicant) quàm amor boni; quæ proinde iuxta amorem boni diuiduntur. Arguunt D. THOMAM, quòd petitis è philoſophorum libris diſtinctionibus ſuperaddiderit AVGVSTINO, ſed meritò ipſi videntur increpandi, qui adinuentas à ſe diſtinctiones obtrudunt AVGVSTINO.

Prętereà nullam iſtius actus indeliberati video neceſſitatem. Non enim ad libertatem ſaluandam exigitur; beati liberè amant Deum ſine tali actu, vt ipſi docent, cum nulla ſit in eis infirmitas: Angeli fuerunt etiam creati in amore libero ſine tali actu, quorum etiam nulla fingi poteſt infirmitas. Nec ad vincendam concupiſcentiam exigitur, ſiquidem amore libero iuſtitię fortiore ſufficienter vincitur concupiſcentia. Cur igitur non dixere hominem infirmum creari à Deo in amore libero iuſtitiæ fortiore, eo modo quo Angeli creati ſunt in amore libero? id eſt, ſicut Deus ſine actu indeliberato pręuio Angelis inſpirauit amorem liberum iuſtitię, ita & homini infirmo inſpiret immediatè amorem liberum iuſtitiæ fortiorem; vt ſicut Angelus creatus eſt in amore libero & ſancto, ita & homo infirmus creetur in amore fortiore iuſtitię libero, docente id Apoſtolo: e *Ipſius enim ſumus factura, creati in Christo IESV in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.*

e. Epheſ. 2.

XXXV. Deſcendat lux Angelica, & eorum illuminet tenebras. Quemadmodùm

Digitized by Google

modùm Deus creauit hominem ſanum in amore iuſtitiæ in vniuerſali, ita & creat hominem infirmum in amore iuſtitiæ in particulari hoc eſt vtrumque phyſicé prædeterminat ad amandum. Sed iuſtitia in vniuerſali eſt naturaliter ſeu neceſſariò volita, non enim poteſt homo eius oppoſitum velle, cùm ſit ipſe amor beatitudinis, aut in eo includatur. At iuſtitia in particulari, id eſt, *coniuncta priuationi delectationis hic & nunc occurrentis in particulari operabili*, non eſt neceſſario volita, ſed poteſt repudiari ex amore delectationis, ad quem præuenitur voluntas à concupiſcentiâ. Deus mouet vnumquemque iuxta modum ſuum. Cùm ergo homo infirmus ex præueniente concupiſcentia ſit potens vt ſe determinet ad oppoſitum *iuſtitiæ hic & nunc occurrentis*, dum Deus prædeterminat phyſicè ad amorem *iuſtitiæ hic & nunc occurrentis*, eſt cauſa, cur amor hic & nunc eliciatur à potente ſe determinare ad oppoſitum: ac proinde eſt cauſa, cur eliciatur cum libertate.

Quemadmodùm Deus mouendo cauſam contingentem ad agendum non deſtruit eius contingentiam, quia facit ſuâ phyſicâ prædeterminatione, quòd actus egrediatur à causâ potente impediri; alioquin non cauſam contingentem moueret; ita Deus mouendo liberum arbitrium ad amorem *iuſtitiæ hic & nunc occurrentis*, non deſtruit eius libertatem, quia facit ſuâ phyſicâ prædeterminatione, quòd actus egrediatur à cauſa potente ſe determinare ad oppoſitum, alioqui non liberum arbitrium, ſed cauſam neceſſariam prædeterminaret. *ff* Facit autem hoc Deus dupliciter; vel enim facit quòd amor *iuſtitiæ hic & nunc occurrentis* egrediatur à voluntate potente ſe determinare in oppoſitum vi præcedentis actus, & tunc actus eſt liber tam *elicitiuè* quàm *applicatiuè*, ſicut contingit in homine ſano; vel facit quòd actus egrediatur immediatè ab eadem voluntate, ita vt ſit primus; & tunc actus eſt ſolùm liber *elicitiuè*; habet enim ſe amor *iuſtitiæ hic & nunc occurrentis*, ſicut percuſſio, quę ab altero fit meâ manu cum poteſtate percutionem impediendi; non enim liberè in iſtâ percuſſione moueo manum, ſed liberè mouetur manus mea, quia motum illum poſſum impedire, mouendo manum in contrarium. *g*

ff. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. cap. 3. §. 4.

g. THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo 3. c. 5. §. 5.

XXXVI. Expulſis tenebris, videamus quæ ſit illa iuſtitiæ delectatio, quam toties inculcat S. AVGVSTINVS. Sciendum eſt, quòd voluntas non mouetur niſi in bonum apprehenſum, ſiuè in id quod iudicatur bonum; duplex autem eſt iudicium, vnum ad inſtar primorum principiorum, quo ad ſolam apprehenſionem v. g. iuſtitiæ iudicatur iuſtitia eſſe bonum; alterum eſt iudicium ad inſtar concluſionum, quo ex collatione ad aliquid aliud v. g. remotionem pœnarum inferni iudicatur iuſtitia eſſe bonum. Primum iudicium firmitatem habet ex aliquâ interiori inclinatione, v. g. quia inclinor naturaliter ad vitam, ad ſolam apprehenſionem vitæ iudico eam eſſe bonum, nullâ factâ collatione ad aliquid aliud: ſimiliter quia ex habitu inclinor ad fornicationem, ex ſolâ fornicationis apprehenſione nihil aliud conſiderando iudico, bonum eſſe fornicari. Vt autem vitam, aut fornicationem in iſta diſpoſitione repudiem, neceſſe eſt vt fiat collatio cum aliquo alio bono, quòd magis amo, quàm vitam, aut fornicationem. Hæc inſpice in THOMISTARVM TRIVMPHO, de natura pura. *h*

h. THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo 2. Opuſc. 1. c. 6. §. 7.

Ad rem noſtram veniamus. Iuſtitia hic & nunc occurrens coniungitur v. g.

Priua-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Priuationi delectationis fornicariæ;quam delectationem nullâ factâ collatione iudico eſſe bonam,& hoc iudicium fit ſine collatione propter interiorem habitus, aut concupiſcentiæ inclinationem. Vndè vt repudietur delectatio fornicaria, & ametur *iuſtitia coniuncta priuationi iſtius delectationis* opus eſt collatione, v. g. ad pœnas inferni contrarias integritati vitæ, quæ plus amatur, quàm fornicaria delectatio. Et tunc *iuſtitia coniuncta dicta priuationi* non propter ſe amatur, ſed propter aliud. Hæc eſt neceſſitas ſpecialis GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS. Deus qui ſolus intra voluntatem operatur, inſpirat amorem *iuſtitiæ coniunctæ priuationi delectationis fornicariæ* ex quo amore delectabilis fit, & per ſe bonum iudicatur *iuſtitia coniuncta dictæ priuationi*, ſicut ſuprà dictum eſt, quòd omne amatum eſt delectabile amanti. iſta eſt iuſtitiæ delectatio,quam exigit S. AVGVSTINVS ad ſingulos actus hominis infirmi, non in aliquo actu indeliberato conſiſtens, ſed in amore libero *elicitiuè tantùm*, quem Deus ad iuſtitiam in particulari inſpirat, qui ſi fuerit fortior vincitur concupiſcentia, & impletur mandatum, ſin minus fortis, vincit concupiſcentia, & præuaricatur mandatum. Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM. [i]

i. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 2. §. 7. tom. 3. cap. 5. §. 5.

XXXVII. Secundò deficiunt litteræ AVGVSTINIANÆ adhærentes ſpreto Angelico intellectu, in ly *fortiore*. Putant enim debere eſſe amorem iuſtitiæ *fortiorem intenſiuè*, cùm ſufficiat eſſe *fortiorem appretiatiuè*; ex quâ falsâ exiſtimatione explodunt dictum Angelicum, quo aſſeritur, minimam charitatem ſufficere ad vincendas omnes tentationes, & vitanda omnia peccata. Verùm in libris de Pœnitentiâ, quos paramus, iſta omnia, FAVENTE DEO ET PRÆDETERMINANTE, in ſtaterâ Angelicâ librabimus.

Hæc de FVNICVLO PRIMO, Ad quem præſentem traxi paragraphum, occaſione & intuitu *tractionis Molinianæ*; contra quam, [l] *ſi quis eſt Domini iungatur mihi.*

l. Exodi 32.

FVNICVLVS SECVNDVS.

BAIVS.

XXXVIII. NEceſſitatem ANGELICI luminis ad veram S. AVGVSTINI intelligentiam, æquè ac *Molina* demonſtrat *Baius*. Verumtamen ex diuerſo capite. Duo inter alia præſtat lumen; tenebras enim expellit, & colorem qui eſt in potentia viſibilis reddit actu viſibilem. Doctrina *Molinæ* ad doctrinam GRATIÆ AVGVSTINIANÆ ſe habet ſicut tenebræ ad lumen; ſiquidem in præcipuo difficultatis puncto, vt vidimus, [m] ab impugnatoribus S. AVGVSTINI non diſcernitur. Comparationem iſtam tene-

m. ſupra num. 26.

tenebrarum ad lumen interuenire ipſe *Molina* faſſus eſt, inter ſuam & S. AVGVSTINI doctrinam; at ſenſu nobis contrario, & Cordatos omnes ad indignationem prouocante, cùm lucem ſibi dederit, tenebras *n* S. AVGVSTINO. Doctrina Baij coloribus comparatur; veram enim S. AVGVSTINI, aſſerit gratiam, ſed eam quaſi actu inuiſibilem, id eſt, inintelligibilem actu exhibet, dum litteræ nimiùm adhærens, plurimas veritates, quę naturæ à Deo inſtitutæ,& rationi, ſignato ſuper nos vultùs illius lumini,congruunt, putauit doctrinæ AVGVSTINIANÆ aduerſas; quæ tamen ei optimè conſonant, ſi ſecundùm mentem & intentionem S. AVGVSTINI luce ANGELICA interpretentur. Hic eſt FVNICVLI SECVNDI nodus, vt depulſis in PRIMO FVNICVLO *Molinianis* tenebris, ſtringatur neceſſitas ANGELICÆ lucis ad verum doctrinæ AVGVSTINIANÆ colorem faciendum actu intelligibilem ijs, qui litterę AVGVSTINIANÆ cum *Baio* nimis adhærent. Primò in quo differant MOLINA, & BAIVS, oſtendemus, vt colores ſecernantur à tenebris. Secundò cauſam dicemus, cur ea quæ naturæ & rationi conueniunt ſint ſolùm in potentiâ intelligibilia in litterâ AVGVSTINIANA, vt luce ANGELICA redderentur actu intelligibilia. Tertiò, ea quæ S.AVGVSTINO perperam ſuperaddit *Baius* falſa eſſe,vt non dicam abſurda, demonſtrabimus prælucente ANGELICO Sole, Deoque prędeterminante. *Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.*

n. ſupra num. 3.

§. I. *In quo differant MOLINA & BAIVS?*

XXXIX. DEfectus ANGELICI luminis eſt & *Molinæ* & *Baio* communis. Vnum tantùm de duobus vterque accepit, cum ambo ad veram S. AVGVSTINI intelligentiam ſint neceſſaria. Immutationem actus volendi *ex parte obiecti* conſiderauit ſolummodò *Molina*. Eam, quæ eſt *ex parte voluntatis* attendit tantùm *Baius*: non enim immutationem *ex parte obiecti* diſtinxit. Hæc eſt prima eorum differentia; ex quâ oritur ſecunda, nempe *Molinam* adhæſiſſe impugnatoribus S. AVGVSTINI; ab illis receſſiſſe *Baium*, ſed in aliam cecidiſſe foueam ex litterâ occidente. De *Molina* in PRIMO FVNICVLO ſatis dictum. De *Baio* in hoc ſecundo Funiculo ſupereſt dicendum

Obſeruanda eſt ANGELICA doctrina, quam habet THOMISTARVM TRIVMPHVS, *o* vbi colligitur quod neceſſitas gratiæ poteſt peti ex obiecto, vel ex modo operandi. Quando obiectum ſuperexcedit omnem naturæ rationalis proportionem & facultatem, gratia neceſſaria ad illud attingendum dicitur neceſſaria ex obiecto. Quando obiectum eſt proportionatum, ſed modus attingendi exigit ſpecialem Dei applicationem, tunc neceſſitas gratiæ petitur ex modo operandi, non ex obiecto. Eodem modo ſupernaturale dicitur aliquid ex obiecto, quando obiectum eſt ſuperexcedens proportionem

o. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. n. 166.

nem naturæ, vt viſio beatifica, cognitio Trinitatis, actus charitatis ſpei, &c. Vita autem mortuo reſtituta, ſanitas miraculosè recuperata, dicuntur ſupernaturalia ex modo operandi.

XL. Alia quoque vtriuſque Solis conſideranda eſt differentia, quam exhibet THOMISTARVM TRIVMPHVS *p* inter hominem ſanum, & infirmum. Ea enim non petitur ex obiecto, ſed ex modo operandi. Sufficientia virium reddit hominem ſanum, infirmitas virium facit infirmum. Nec obiecti naturalitas vel ſupernaturalitas attenditur in iſtâ diſcretione. Non minùs eſt infirmus, qui ad obiecta naturalia attingenda non habet ſufficientes vires, quam qui caret ſufficienti poteſtate ad obiecta ſupernaturalia. Aequè etiam ſanus eſt, qui ſufficientiam virium habet, vt tendat in obiecta ſupernaturalia, ac ille, cui nihil deeſt *ex parte poſſe* ad obiecta naturalia.

p. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 1. §. 6. tom. 3. cap. 3.

Hinc ſequitur, neceſſitatem gratię ſpecialis, quâ indiget homo infirmus, non peti ex ſupernaturalitate obiecti, ſed indifferenter ſe habere ad actus naturales & ſupernaturales. Oritur enim ex rebellione concupiſcentię, quę æqualiter præuenit voluntatem, & in naturalibus, & in ſupernaturalibus. Quarè operari *vt infirmus*, eſt operari cum præueniente in contrarium concupiſcentiâ: ad quod requiritur auxilium eſſentialiter vincens concupiſcentiam, cum quo componi non poſſit non operatio. Siuè igitur principium eliciens actionem fuerit naturale, ſiuè ſupernaturale, ſi præueniatur concupiſcentiâ erit infirmum, quia impeditum. Et æqualiter indigebit GRATIA VICTRICE. Vnde GRATIA VICTRIX eſt propriè illa gratia, quę diſcernit hominem infirmum benè operantem, ab homine ſano benè operante.

XLI. Ad iſtam differentiam *hominis infirmi benè operantis, & hominis ſani benè operantis* intelligentiæ oculum iugiter conuertit S. AVGVSTINVS. Et ſtatim vidit hominem infirmum benè operantem adiuuari ſpeciali aliquo auxilio, quo non adiuuatur homo ſanus, benè operans. Manifeſtum eſt, quòd neceſſitas ſpecialis auxilij non poteſt peti ex parte eorum, quę ſunt communia, & ſano, & infirmo. Per hoc enim quod alteri cum altero commune & indiſcretum eſt, nemo diſcernitur: iuxta id quod dixit AVGVSTINVS *p*: *Numquid per hæc dona quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus?* minimè gentium. Omne principium eliciens actum, ſeu omne habituale donum, quod eſt in homine ſano benè operante eſt etiam in homine infirmo benè operante; & nihil eſt in infirmo ex parte principij elicientis neceſſarium, quod non ſit in ſano neceſſarium. Cùm enim principium eliciens & quidquid ſe habet per modum habitus & diſpoſitionis ad eliciendum actum, ſit auxilium *ſine quo* non fit actus, nullo tali auxilio caret homo infirmus benè operans, (intellige dum actu operatur) ſic enim differentiam vtriuſque modo inueſtigamus, provt ſcilicet vterque actualiter operatur: & quærimus quid ſit illud quod habet homo infirmus in omni ſua bona operatione tam ſecundùm legem naturę, quàm ſecundùm legem fidei, & quo caret homo ſanus in omni ſua operatione: & dicimus, quòd non poteſt eſſe aliquid ex parte principij elicientis tantùm.

p. lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 5.

Certum etiam eſt, quòd ex parte principij applicantis, tam homo ſanus. quàm

Digitized by Google

quàm homo infirmus debeant à Deo applicari ad bene operandum, eò ipſò quòd vterque præter principia elicientia indigeat concurſu generali primi mouentis, quem Deus exhibet voluntati vt Dominus illius, non vt pediſſequus, vti volunt *Moliniſtæ*. Non ergo in indigentia applicationis & concurſus generalis ſtat hominis infirmi bene operantis, ab homine ſano bene operante differentia, ſed in indigentia ſpecialis cuiuſdam applicationis & concurſus, quam indigentiam non habet homo ſanus.

XLII. Hoc autem ſpeciale auxilium applicans non eſt aliud, quàm auxilium eſſentialiter inferens bonam operationem vincendo concupiſcentiam. Ex hoc quòd ſit eſſentialiter inferens bonam operationem facit operantem benè; ex hoc quòd vincat concupiſcentiam facit infirmum operantem benè, & eum à ſano diſtinguit. Duplici quoque titulo dicitur gratia ſpecialis. Nam ſi gratia ſumatur pro dono indebito & gratis dato, ſeu procedente ex gratuitâ Dei voluntate, auxilium eſſentialiter vincens concupiſcentiam *ſpecialis gratia* conuenientiſſimè dicitur; quia nec naturę in maſſa damnationis poſitę debetur, nec perſonæ cuiuſquam meritis redditur. In quo differt ab auxilio hominem ſanum prædeterminante, quod licet nulli particulari debitum ſit ſuppoſito, naturæ tamen debetur; ſiuè debitum iſtud oriatur ex conditione naturę, vt fit in auxilio prædeterminante ad actus naturales; ſiuè debitum iſtud oriatur ex eleuationis priuilegio, vt contingit in auxilio prædeterminante ad actus ſupernaturales.

Diuina prouidentia ſuauiter & fortiter diſponens omnia, quamlibet creaturam gubernat & dirigit ſecundùm modum ſuum. Natura, quę defectibiliter ordinatur in finem, exigit quòd in aliquibus ſuppoſitis perducatur ad finem, vt oſtendatur vltima eius bonitas & perfectio; & ſimul petit quòd in alijs ſuppoſitis deficiat à fine, vt oſtendatur eius defectibilitas. Verùm quòd hoc ſuppoſitum eligatur, & non iſtud, in quo natura vel conſequatur finem, vel deficiat à fine, ad ſolam gubernantis vniuerſaliſſimi pertinet voluntatem. Hæc eſt D. THOMÆ profundiſſima doctrina in TRIVMPHO THOMISTARVM [a] relata, ſecundùm quam omnia auxilia efficacia debentur naturę ſanæ, naturalia naturę principijs, ſupernaturalia naturę ex priuilegio eleuatæ; nullum tamen auxilium efficax, tam naturale, quàm ſupernaturale debetur perſonę, vt pote omnia præueniens merita. At auxilia efficacia in homine infirmo, nec naturę debentur, cui ſola propter peccatum primi parentis debetur damnatio: iure igitur merito *ſpecialis* dicuntur *gratia*, ſumendo gratiam pro dono indebito & gratis dato.

a. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. In Appendice de cauſa prædeſtinations ſect. 4.

Quòd ſi ſumpſeris magis propriè gratiam pro dono ſuperexcedente naturam, eamque ad ipſam Dei beatitudinem eleuante, quod communiter à Theologis vocatur ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam facti, auxilium vincens eſſentialiter concupiſcentiam adhuc *ſpecialis* dicetur *gratia*, quia eſt Dei *ſpecialiter* non *vniuerſaliter* applicantis. In quo diſtinguitur ab auxilio ſupernaturali applicante, quod datur homini ſano: hoc enim auxilium procedit à Deo ſecundùm *vniuerſalem* prouidentiam ordinis ſupernaturalis; at auxilium ſupernaturale vincens concupiſcentiam in ordine ad diuinam beatitudinem, procedit à Deo ſecundùm *ſpecialem* prouidentiam eiuſdem ordinis ſupernaturalis.

b. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. de cauſa prędeſtin. ſec. 3. tom. 3. n 166.

Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM. *b*

XLIII. His ritè perſpectis lucidiſſima fiet *Baij* & ſequacium hallucinatio. Neceſſitatem gratiæ perpendit S. AVGVSTINVS, dimicans contra Pelagianos *ex parte principij ſpecialiter applicantis*, ſeu vincentis concupiſcentiam, quod ſe extendit ad ſingulos actus hominis infirmi ſiuè naturales ſint, ſiuè ſupernaturales, hoc eſt ſiuè eliciantur à ratione *per dilectionem iuſtitiæ ſibi proportionatam* operante, ſiuè eliciantur à fide *per dilectionem fidei commenſuratam* operante. *Baius* verò neceſſitatem gratiæ *ex parte principij elicientis* extendit ad ſingulos actus hominis infirmi, exigens ad actus ſecundùm regulam rationis bonos non ſolùm *gratiam applicantem*, ſed etiam *gratiam elicientem*. Quod certè nunquam aſſeruit S. AVGVSTINVS; nec aſſerere potuit, niſi affirmando omnem veritatem moralem ſolâ fide poſſe cognoſci. Quid, amabo, ad GRATIAM AVGVSTINIANAM refert, quòd diſtinguam ex obiecto, ſiuè ex parte *principij elicientis*, duos iuſtitię amores, ſi vtrumque amorem confitear à Deo ſpecialiter inſpirari, vtrumque quibuſdam miſericorditer dari, vtrumque quibuſdam iuſtè denegari?

Perſpectam habes, CORDATE LECTOR *Molinæ* & *Baij* differentiam in communi eorum contra GRATIAM AVGVSTINIANAM peccato. Vterque gratiam elicientem, ad quam immutatio actus volendi *ex parte obiecti* pertinet, confudit cum gratiâ applicante, ad quam ſpectat immutatio actus volendi *ex parte voluntatis*. Differunt quòd *Molina* gratiam applicantem in gratiâ eliciente intelligit hanc ſolam agnoſcens, & ei ſoli applicans quidquid contra Pelagianos docuit S. AVGVSTINVS de illis Triumphans. *Baius* è contra gratiam elicientem in gratia applicante ſolummodò cognoſcit, non diſtinguens gratiam elicientem à natura eliciente, nec fidem à ratione. Vnde quidquid D. THOMAS ex dictamine rationis philoſophis indito, ſecundùm diuerſa principia elicitiua ſapientiſſimè diſtinxit, gratię AVGVSTINIANÆ credidit aduerſari, eo quòd litterę AVGVSTINIANÆ ſolam neceſſitatem *gratiæ applicantis* exprimenti nimiùm adhæſerit; ideóque non viderit diuerſos iuſtitiæ & Dei amores cum eadem *gratiæ applicantis* neceſſitate à S. AVGVSTINO aſſertâ poſſe, & debere componi: vti compoſuit D. THOMAS mentem Magiſtri ſui intimè penetrans.

§. II. *Ex eodem fonte demonſtratur diuerſa* MOLINÆ *&* BAIJ *circa libertatem hallucinatio.*

XLIV. VEro omnia conſonant. Sicut modicus error in principio plurimos & magnos in multiplicatis concluſionibus gignit errores; ita veritate principij veritates multiplicantur concluſionum. Licet hoc cernere in iſtâ duplicis actus volendi immutationis veritate. Quemadmodum ſecundùm eam duplex gratia diſtinguenda eſt, ita & duplex libertas; & ſicut ex defectu diſtinctionis duplicis gratię, diuerſimode circa gratiam hallucinati ſunt *Molina*, & *Baius*, ita defectu diſtinctionis duplicis libertatis variè circa libertatem ijdem à veritate declinarunt.

Alia

Digitized by Google

Alia eſt libertas ex parte principij applicantis ſe ad agendum, alia eſt libertas ex parte principij elicientis actionem. Libertas principij applicantis eſt libertas in actu ſecundo, cum quâ non poteſt componi actus oppoſitus, ſed ſola poteſtas ad oppoſitum. Libertas principij elicientis eſt libertas in actu primo, cum quâ non ſola ad vtrumque poteſtas, ſed & vtrumque oppoſitum componi valet. Principium liberè applicans eſt amor. Quicumque actus ex amore concluditur, eſt liber in actu ſecundo *libertate applicantis ſe*, quę communiter dicitur *exercitij libertas*. Nec ex amore alicuius obiecti poteſt concludi obiecti amati oppoſitum. v. g. Ex amore delectabilis non poſſum concludere aliquod triſte eſſe amplectendum, ſolùm poſſum concludere ea quę delectabiliâ ſunt, & quæ ad delectationem vtilia ſunt. Vt poſſim concludere aliquod triſte eſſe amplectendum requiritur, vt amem aliquid aliud præter delectabile v. g. vitam. Ex amore vitæ poſſum amplecti quidquid eſt vitæ conueniens, ſed non poſſum applicare me ad aliquid vitę coutrarium. Sic patet, quòd quilibet amor dum eſt principium applicans habet propriam exercitij libertatem intra ſpęram obiecti amati, cum quâ non componitur actus obiecto amato oppoſitus, ſed ſola poteſtas ad oppoſitum ex alio amore orta. Et quia amori delectabilis accidit, quòd alius amor ſuperueniat, ſequitur euidenter, poteſtatem amplectendi aliquod triſte non eſſe de eſſentia libertatis exercitij, quâ amans delectabile liberè fertur ad delectabilia: ita vt ſi nullus eſſet amor in voluntate, niſi amor delectabilis, nihil de perfectione libertatis exercitij, quam fundat amor delectabilis, amitteret voluntas, quantumuis nihil contriſtans poſſet amplecti.

XLV. Si tamen aliquod particulare eſſet ex vnâ ratione delectabile, & ex aliâ ratione contriſtans, ad eamdem amoris delectabilis libertatem pertineret poteſtas illud amplectendi & repudiandi; ſi verò ex omni ratione ſit delectabile non poterit ex amore delectabilis repudiari; nec carentia poteſtatis repudiandi iſtud, quod ex omni ſuâ ratione eſt delectabile, detrahit aliquid de perfectione libertatis, quâ ex amore delectabilis poteſt aliquid amplecti. Sic ratiocinare de amore iuſtitię, de amore præcepti, qui ſi ſolus exiſteret in voluntate, quidquid præciperetur liberrimè amplecteretur voluntas, quidquid prohiberetur liberrimè repudiaret, ſine vllâ poteſtate, vel quod præceptum eſſet repudiandi, aut quod prohibitum foret amplectendi. Quòd ſi occurrat fons ipſe omnis iuſtitiæ, illicò ad illud amandum liberrimè ſe determinabit, qui nonniſi iuſtitiam amat, nec aliud quidpiam deſiderat. Ecce perfectiſſima libertas ſine poteſtate peccandi. [c] Nec poſſe *ſuſpendere actum* vel poſſe *ceſſare ab actu*, plus ſpectant ad iſtam *applicantis ſe*, ſeu *exercitij* libertatem, quàm poteſtas amplectendi oppoſitum, eò quòd omnes illę poteſtates fundantur in aliquo alio amore præter amorem iuſtitiæ, qui poſſibilis non eſſet in eo, cuius voluntas ita creata eſſet, vt nonniſi iuſtitiam amaret.

c. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 1. a. 3. § 2. ſic conciliat libertatem Chriſti cum præcepto.

Libertas principij elicientis, ſi ſubtiliter diſcutiatur, non eſt niſi poteſtas ad plures *exercitij*, ſeu *principij applicantis* libertates, intra diuerſas *libertatis exercitij* ſphæras. Eſt enim poteſtas eliciendi plures amores diſparatos; voco diſparatos amores, quorum vnus ex alio non oritur. Cùm autem non multiplicentur amores niſi multiplicatis obiectis, coincidit planè iſta libertas cum

libertate, quæ eſt ex parte obiecti, & communiter dicitur *libertas ſpecificationis.* Fatemur de eſſentia huiuſmodi libertatis eſſe poteſtatem amplectendi oppoſitum, ſuſpendendi actum, vel ceſſandi ab actu. v. g. Sit poteſtas in aliquâ voluntate eliciendi, & amorem iuſtitię, & amorem delectabilis, eò ipsò erit poteſtas amplectendi oppoſitum iuſtitiæ, ſi fuerit delectabile: ſuſpendere quoque amorem iuſtitiæ, vel ceſſare ab amore iuſtitiæ erit poſſibile, ſi delectabilis iudicetur ſuſpenſio, vel ceſſatio. Nec poteſtas amplectendi oppoſitum iuſtitiæ, ſuſpendendi, vel ceſſandi ab amore iuſtitiæ, poteſt adeſſe voluntati, niſi ſit in ea poteſtas eliciendi alium amorem, qui ex amore iuſtitię non oriatur. Nam voluntas, non amans niſi iuſtitiam, non pòteſt iudicare bonum eſſe amplecti oppoſitum iuſtitiæ, vel bonum eſſe non amare illam. Non amare iuſtitiam non eſt per ſe bonum, ſicut nulla carentia eſt per ſe bonum; oportet ergo ex collatione ad aliquod aliud amabile diſtinctum à iuſtitiâ iudicare, quòd bonum ſit, non amare iuſtitiam. Fundatur hæc libertas in ratione diſcernente diuerſas boni & mali rationes: ſed prima libertas fundatur in ratione diſcernente ipſam rationem boni v. g. præcepti, iuſtitię, delectabilis, ab illis rebus, in quibus rationes pręcepti, iuſtitiæ, delectabilis, reperiuntur: ita vt quælibet ratio fundet propriam ſibi libertatem extra ſphæram cuiuſcumque alterius rationis.

c. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 3. tom. 3. cap. 5.

XLVII. Doctrinam iſtam integro Opuſculo tradit TRIVMPHVS THOMISTARVM; c quę ita diſplicuit *Moliniſtis*, vt ipſam detulerint ad ſacram INDICIS Congregationem cum Opuſculo *de Contritione.* Sed liberante Deo pauperem à potente, & protegente Sancto THOMA, in eius profeſto anni 1674. libera euaſit *à cenſurâ, quam illi infligi totis viribus curabant, qui nihil verum, nihil orthodoxum exiſtimant, niſi quod ipſi ſcribunt & docent.* Sic atteſtatur Emin. S. R. E. Cardinalis BONA in Epiſtola, quam mihi ignoto reſcripſit Romæ 19. Maij 1674. ſe etiam Philalethem profitens. Idem teſtatus eſt alter Emin. S. R. E. Cardinalis DETRE, in Epiſtolâ, quam etiam mihi indigno reſcribere dignatus eſt Romæ 12. Iunii 1674.

Nec conſumptis viribus deſtitère aduerſarij, ſed vtrumque *de Libertate & Contritione* Opuſculum à Sacrâ Congregatione INDICIS ad ſupremum INQVISITIONIS tribunal detulerunt; verùm eodem infelici pro eis, & feliciſſimo pro me, omnibuſque veritatem amantibus ſucceſſu, vt atteſtatur R. P, Noſter Generalis P. Fr. IOANNES CHRYSOSTOMVS A S. PAVLO in Epiſtolâ ad me datâ Romæ 6. Iunij 1674.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 3. cap. vlt.

e. Concluſ. Funicul. §. 4.

XLVIII, Obſerua, CORDATE LECTOR, in Opuſculo *de Libertate* d tradi diſtinctionem duplicis GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS *vniuerſalis* ſcilicet & *ſpecialis*, ſupra quam fundatur noſtra Concordia, intentata in tomo primo *de Scientâi Mediâ ad examen reuocatâ*, & totus THOMISTARVM TRIVMPHVS; qui proinde in vtrâque ſacrâ & *Indicis* & *Inquiſitionis* Congregatione, ab omni cenſurâ dici poteſt euaſiſſe immunis. Hoc ipſum fateri debent *Moliniſtæ* in *Gazetta*, quam nuper publicarunt, de quâ infrà. e Nam in eâ dicunt Opuſculum noſtrum *de Scientiâ Mediâ ad examen reuocatâ*, quod primus tomus TRIVMPHI THOMISTARVM complectitur, eſſe *eiuſdem Farinæ* cum alio Opuſculo *de Libertate*, quod eſt tertium in ſecundo tomo me-

Digitized by Google

memorati TRIVMPHI. Cum ergo certum ſit Opuſculum noſtrum *de Libertate*, ſicut & *de Contritione*, ab omni cenſurâ in vtrâque & INDICIS & INQVISITIONIS ſacra Congregatione euaſiſſe immune: certum quoque *Moliniſtis* erit, Opuſculum *de Scientiâ Mediâ ad examen reuocatâ*, quod eſt ipſe THOMISTARVM TRIVMPHVS, ab omni cenſurâ in vtrâque E. D. Cardinalium Congregatione fuiſſe liberatum.

Gratias tibi ago, Deus meus, qui non derelinquis ſperantes in te. Vnam petij à te, & hanc requiram, vt pro centuplo, quod promiſiſti in hoc ſæculo relinquentibus omnia propter te, VERITATIS ANGELICÆ des mihi intellectum, vt ea quæ docuit ex Sapientiſſimo Magiſtro ſuo S. AVGVSTINO conſpicere valeam, & quæ egit imitatione complere. Ambiant aduerſarij mei quidquid voluerint, concilient ſibi apud imperitos plauſum; hæc eſt portio mea, VERITAS ANGELICA; hanc in rebus dubijs cogito, hanc inuoco. Ipſam ſequens non deuio, ipſam cogitans non erro. Ipsâ tenente non corruo; ipsâ protegente non metuo aduerſantium mihi poteſtatem: ipsâ duce in veritatis inquiſitione non fatigor; ipsâ propitiâ ad veritatem peruenio, ſecernens pretioſum à vili, omnia probans, & quod bonum eſt tenens: & ſic in memetipſo experior, quàm meritò dictum ſit à Domino, BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA.

XLIX. Redeamus ad MOLINAM & BAIVM; diuerſamque eorum ex doctrinâ traditâ demonſtremus hallucinationem. *Molina* confundens libertatem principij applicantis cum libertate principij elicientis, exigit ad libertatis eſſentiam illas condi[illegible], quæ ſpectant ad libertatem principij elicientis. * Vult enim vt cum applicatione ad actum poſſit componi actus oppo[illegible] ſupra monſtrauimus eſſe conditionem lib[illegible]mus, quam *THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 2. §. 2.*
in actu primo; & nul[illegible]ertatis principij elicientis, ſeu libertatis libert[illegible]atenus eſſe de perfectione libertatis principij applicantis, ſeu [illegible] in actu ſecundo, ſicut nec eſt poteſtas peccandi. Nec refert vtrum à me ipſo applicer, an ab alio; nam ſi cum mea applicatione ſtat poteſtas ad oppoſitum abſque eo quòd cum applicatione meâ poſſit componi actus oppoſitus, idem continget cum applicatione ab alio. Hoc ſolùm poterit obſtare, quòd *applicanti ſe* videatur repugnans *applicari ab alio*; ſed verum eſt de primo ſe applicante, non de ſecundo ſe applicante; ſicut ſecundo mouenti ſe non repugnat, accipere à primo quòd ſe moueat. Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM e. *e. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 2. §. 4.*

Baius in ſolâ ratione voluntarij, & excluſione violentiæ repoſuit libertatem, quam *ad meritum & demeritum* dixit ſufficere. Et ita negauit libertatem principij elicientis, excludens à libertate iſtâ poteſtatem amplectendi oppoſitum. Benè diſtingue inter libertatem *ad meritum tantùm*, & libertatem *ad meritum & demeritum ſimul*; Libertas *ad meritum tantum* eſt libertas ſeparata à poteſtate peccandi, & eſt libertas principij applicantis, de cuius perfectione nihil diminuit carentia poteſtatis ad oppoſitum. Libertas *ad meritum & demeritum ſimul*, eſt libertas coniuncta poteſtati peccandi, de cuius eſſentiâ eſt poteſtas amplectendi oppoſitum, ſuſpendendi actum, ceſſandi ab actu. Quarè iure merito proſcriptus eſt *Baius*, qui iſtas poteſtates à libertate

ad

Digitized by Google

ad meritum & demeritum excluſit. Conſule THOMISTARVM TRIVMPHVM. *f*

f. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 3. cap. 8.

L. Colligitur ex doctrinâ libertatis traditâ, ampliſſimam libertatem in ſolo Dei amore conſiſtere. Cùm enim formalis libertas ex amore applicante procedat, tantò amplior erit libertas, quantò ex amore poſſumus nos ad plura applicare. Dictum eſt, quòd quilibet amor habet propriam ſuę libertatis ſphęram. Qui ergò ex vno & eodem amore poteſt ad plura ſe applicare, illius amor ampliorem conſequenter libertatis ſphæram. Amor delectabilis maiorem habet ſphæram, quàm amor dulcis, quàm amor pulchri, quàm amor ſuauiſſimi cantus, quàm amor venereæ delectationis, quàm amor fragrantis odoris. Quò magis ad particulare deſcenditur, tantò minorem habet amor libertatis ſphæram. Amor ſubijcit amantem amato iuxta illud Apoſtoli. *g* *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiuè peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati .... liberati autem à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Omnis ergo creaturæ libertas eſt cuiuſdam ſeruitus amoris. Seruitus eſt reſpectu rationis amatæ, libertas reſpectu eorum, in quibus ratio amata vel quædam illius vtilitas à parte rei reperitur. Servus autem eſt quaſi ſub domino captivus. Inter captiuos eſt latitudo, ſunt captiui qui in anguſto domus clauduntur cubiculo; ſunt quibus tota domus deputatur pro carcere; ſunt quibus tota ciuitas; ſunt quibus exitus è regno tantùm prohibetur. Amans delectabile eſt captivus in regno; amans delectabilia tactus eſt captivus in ciuitate; amans fornicationem eſt captivus in domo; amans hanc mulierem eſt captivus in cubiculo. Voluntas fertur in res vt ſunt à parte rei; ſic autem ſunt ſingulares. Dum ergo voluntas determinat ſe ad amandum aliquod ſingulare, claudit quaſi ſe in vno cubiculo; & dum ad aliud ſingulare amandum ſe determinat, in alio etiam includit ſe cubiculo; hoc eſt reſtringit ſe ad volendum ſolummodò ea, quæ huic ſingulari coueniunt; totque ſibi multiplicat dominos, quot amat ſingularia: ſiquidem vnumquodque ſingulare proprio gaudet bono, à quouis alterius ſingularis bono diſtincto.

g. 4. Rom. 6.

LI. Si ſit à parte rei aliquod ſingulare, in quo ſit omnium aliorum ſingularium bonitas, & ad quod omnia alia ſiugularia habent conuenientiam. Voluntas determinans ſe ad amandum iſtud ſingulare ſubijcit ſe illi, & ab eo captiuatur; ſed omnibus alijs ſingularibus dominatur, eò quòd omnia alia ad iſtud vnum quaſi media deſeruiunt Voluntas autem fini ſubijcitur, ſed medijs dominatur. Tale ſingulare eſt Deus. Quarè manifeſtum eſt amorem Dei minimam eſſe ſeruitutem, & maximam libertatem. Minor eſt ſeruitus ſubijci vni, quam ſubijci pluribus; & ſubijci regi, quàm ſubijci ruſtico. Et iterum minor eſt ſeruitus ſubijci ſuo ſuperiori, quam ſuo inferiori. Omnia temporalia, imò omnes creaturæ ſunt infra animam, inquantùm eſt imago Dei, & tamquam nihilum ſunt ante Deum. Eſt ergo amor creaturæ maxima animæ ſeruitus. At amor Dei ſubijcit animam vni, & quidem ſuperiori, regiq́ue ſæculorum immortali. Eſt ergò amor Dei *minima* animæ ſeruitus, eſt etiam maxima illius libertas, quia cum *Deus diligat omnia quæ ſunt, & nihil oderit eorum quæ fecit*, *h* nihil exiſtit in mundo, ad quod amandum

h. Sap. 1. 5

Digitized by Google

dum non poſſit ſe applicare voluntas amans Deum. Vnde totus mundus reputatur ei carcer, veriſſimèque dicitur, *ſeruire Deo regnare eſt*.

LII. Ex his, quaſi ex veſtigio, deduci poteris CORDATE LECTOR, in aliqualem myſticę illius ſapientię, cognitionem, quam docet Beatus Noſter Pater IOANNES A CRVCE *primus Carmelitarum Diſcalceatus*, nouiſſimè à San[redacted]ſſimo D. N. Papa CLEMENTE X. catalogo Beatorum ſummâ Reformationis noſtræ lætitiâ, annumeratus. Ipſe diuino afflatus ſpiritu, & ſupra ſe eleuatus, rectam & compendioſiſſimam demonſtrat viam, quâ ſecurè & ſine vllo deceptionis periculo perfectionis Chriſtianæ montem ſubire paruo tempore poſſis, Deoque in ſapientiâ, quantùm patitur hæc vita, intimè vniri. Hæc via tribus NIHIL perficitur, mediante caliginoſa quadam fidei cognitione per dilectionem cuiuſdam vniuerſalis boni operante. Cognoſcis, & amas; ſed nihil diſtinctum cognoſcis, & amas. Si aliquid diſtinctum & particulare quæſieris ſeu in cognitione, ſeu in amore, à rectâ viâ recedis, ad dexteram, aut ſiniſtram declinando. NIHIL IN SENSIBVS, omnibus ſenſibilibus dicendo, *non eſt hoc quod volo.* NIHIL IN INTELLECTV, omni cognitioni aliquid diſtinctum & particulare, quod exprimere valeas, (quantumuis de Deo fuerit) referenti dicendo, *Non eſt hoc quod volo.* NIHIL IN VOLVNTATE, omni affectioni cuiuſcumque particularis & diſtincti obiecti dicendo, *nec hoc eſt quod volo.* In iſtâ rerum omnium particularium & diſtinctarum abſtractione, atque conſtanti cuiuſvis delectationis tam ex ſenſu, quàm ex intellectu occurrentis mortificatione, remanet animus in quodam vniuerſalis beneplaciti Dei confuſo intuitu & indiſtincto amore; quo voluntas ad omnia particularia & diſtincta, quæ ex voluntate Dei oportet aſſumere, inueniatur promptiſſima atque paratiſſima. Iſte indiſtinctus & confuſus amor eſt ipſi omnis virtus, inquantùm vnicum eſt ei motivum ad omnes virtutum actus exercendos, quantumvis de nulla virtute in particulari cogitet. Nam ſi intuitum vniuerſalem & confuſum relinquat, vt cuiuſdam virtutis particularis motivum aſſumat, rectam deſerit viam, ad dexteram declinando. Hæc eſt maxima animæ libertas, non ſolùm à peccato; ſed & à quocumque obiecto particulari, & diſtincto.

Hæc eſt Beati Protoparentis REFORMÀTI CARMELI doctrina: quæ non *ſciendo* ſed *ignorando* diſcitur, quæ non *aliquid*, ſed NIHIL amando acquiritur. Expertis eam relinquo, ᶜ *ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* c. 2. Cor. 12.

§. III. *Redditur cauſa, cur diſtinctio* gratiæ elicientis à naturâ eliciente *ſit ſolùm in potentiâ intelligibilis in litterâ* AVGVSTINIANA.

LIII. PEr diſtinctionem gratiæ elicientis à natura eliciente, nihil aliud intelligimus, quàm duplicem Dei aut iuſtitiæ amorem, quorum vnus elicitur à gratia ſanctificante, aut alio principio elicitiuo ad eam ordinato; alter

alter elicitur à natura rationali, ſine vllâ ad gratiam ſanctificantem eleuatione & coniunctione. Diſtinctionem iſtam dicimus eſſe ſolùm in potentia intelligibilem in litterâ AVGVSTINIANA; quia eâ diſtinctione non opus habuit, vt contra Pelagianos dimicaret, ac de illis Triumpharet : ideoque eam non expreſſit. *Ergò eam negauit, & impoſſibilem credidit :* Quàm mala conſequentia ! eſt tamen *Baiana*, & aliorum, qui deſerentes lucem ANGELICAM D. THOMÆ, ſuper omnes S. AVGVSTINI diſcipulos fideliſſimi, certò certiùs in malâ iſtius ſequelæ deductione fuêre obcæcati. Quid inde ſequutum : Mundus nouit.

Nos probemus intentum. Diſtinctio iſta duplicis dilectionis, per quarum vnam fides operatur, & per alteram ratio, non diſcernit hominem ſanum benè operantem ab homine infirmo benè operante : ergo eâ diſtinctione non opus habuit S. AVGVSTINVS vt contra Pelagianos dimicaret, ac de illis Triumpharet. Antecedens eſt de ſe notum; omnes enim, qui diſtinctionem iſtam recipiunt, vtramque dilectionem ponunt & in homine ſano, & in homine infirmo; ſicut in vtroque reperitur *natura* & *gratia ſanctificans*; *Ratio* & *fides*. Manifeſta quoque eſt conſequentię bonitas ex paragrapho primo huius Funiculi; in quo dictum eſt, præcipuam S. AVGVSTINI contra Pelagianos diſceptationem fuiſſe, de gratiâ diſcernente hominem ſanum benè operantem, ab homine infirmo benè operante; cujus neceſſitas eſt communis vtrique dilectioni; vt pote petita ex infirmitate concupiſcentię, quæ vtramque præuenit dilectionem. Siuè natura rationalis eliciat dilectionem iuſtitiæ *natura rationali commenſuratam*, ſiuè gratia ſanctificans eliciat dilectionem iuſtitiæ *natura diuina commenſuratam*, vtraquè indiget ſpeciali Dei auxilio vincente concupiſcentiam; quo dato vtraque diligit; quo non dato neutra diligit. Iſtius auxilij neceſſitatem iugiter adſtruens S. AVGVSTINVS contra Pelagianos, nullatenus indiguit duas iſtas diſtinguere dilectiones.

LIV. Euidentiùs id demonſtrant argumenta, quibus Pelagianos vrgebat. Nam precibus Eccleſiæ potiſſimum redarguebat eos; & Apoſtolico teſtimonio, [d] *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* dictoque S. Cypriani, *In nullo gloriandum cum nihil ſit noſtrum.* Præueniens concupiſcentia facit, dilectionem iuſtitiæ naturalem non eſſe in poteſtate naturæ, ſicuti facit, dilectionem iuſtitiæ ſupernaturalem non eſſe in poteſtate gratiæ ſanctificantis; eſt enim & naturæ, & gratiæ ſanctificantis actuale impedimentum. Cùm oratio fundatur ad Deum pro eo quod non eſt in noſtrâ poteſtate, & à Deo donatur, ſecundùm S. AVGVSTINVM; æqualis erit ad vtramque dilectionem orationis indigentia.

d. 1. Cor. 4.

Totum quod ex neceſſitate orationis deducit S. AVGVSTINVS, in vtrâque dilectione verificatur. Sic enim ratiocinatur : [e] *Cùm ergò verum ſit, quod dixit*; ſi volueris, conſeruabis mandata : *quarè quærit in ore ſuo dari cuſtodiam, ſimilis ei qui dicit in Pſalmo :* Pone Domine cuſtodiam ori meo : *quarè ei non ſufficit mandatum Dei & voluntas ſua ; quandoquidem ſi voluerit, conſeruabit mandata.* Deinde adductis multis alijs mandatis, quorum adimpletio à Deo poſcitur; ex quo videtur verùm non eſſe, *ſi volueris, conſeruabis mandata*, quoniam quæ ex voluntate noſtra dependent non poſcimus ab alio, ſubiungit

e. lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.

git S. Doctor.

Si hæc ei præſenti diceremus, rectiſſimè nobis reſponderet, & diceret. Ex iſta oratione mea, quâ hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, ſi volueris conſeruabis mandata. *Certum eſt enim nos mandata ſeruare ſi volumus; ſed quia præparatur (id eſt, datur) voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantùm velimus, quantùm ſufficit vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit vt velimus bonum de quo dictum eſt, quod paulò antè poſui,* Præparatur voluntas à Domino; *de quo dictum eſt;* A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet; *de quo dictum eſt;* Deus eſt qui operatur in nobis & velle. *Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit,* Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. *Cum dicit,* Faciam vt faciatis *quid aliud dicit, niſi auferam à vobis cor lapideum vnde non faciebatis; & dabo cor carneum vnde faciatis? Et hoc quid eſt, niſi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens vnde faciatis.*

LV. Nihil in omnibus his verbis dictum, quod vtrique dilectioni non conueniat; ſiquidem vtraque dilectio iuſtitiæ, eſt ſecundùm D. THOMAM cor carneum, ſeu obediens à Deo datum. Nam & naturam rationalem efficaciter prædeterminat ad dilectionem iuſtitię *naturæ rationali commenſuratam*; & gratiam ſanctificantem efficaciter prædeterminat ad dilectionem iuſtitiæ *naturæ diuinæ commenſuratam.* Vtraque prædeterminatio ſpecialis eſt, quia vtraque eſt concupiſcentiæ VICTRIX. Quarè firmiſſimè tenemus & dilectionem iuſtitiæ, per quam ratio operatur & dilectionem iuſtitiæ, per quam fides operatur, eſſe in natura lapſa ſpecialia Dei dona; ac proinde ſecundùm vtramque verificari Apoſtolicum teſtimonium. e *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Nec non S. Cypriani, eloquium, ſi quidem in nulla earum eſt gloriandum, cum in nulla earum aliquid ſit noſtrum.

e. 1. Cor. 4.

Hoc orationis argumento fortiter *Moliniſtas* vrget THOMISTARVM TRIVMPHVS, f & GRATIAM eorum ſufficientem anguſtijs vndique contrahit, ac verſatilem *verſatilis gratiæ* reſponſionem peremptoriè elidit. Nunc ſufficit nobis eodem ratiocinio oſtendiſſe, quòd nullam S AVGVSTINVS habuerit neceſſitatem diſtinguendi duas iuſtitiæ dilectiones, vt dimicaret contra Pelagianos, ac de illis Triumpharet; quandoquidem ſpecialis illa gratia PHYSICE PRÆDETERMINANS & concupiſcentiæ VICTRIX, cuius neceſſitatem adſtruebat, ad vtramque iuſtitiæ dilectionem æqualiter ſit neceſſaria. Quarè non exprimendo diſtinctionem vtriuſque; nec eam negando, remanſit diſtinctio in litterâ AVGVSTINIANA *in potentia intelligibilis*; ad quam *actu intelligibilem* faciendam, neceſſaria fuit lux Angelica, vt videbimus paragrapho ſequente.

f. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. tom. 2. Opul. 3. tom. 3.

E §.IV. *Ne-*

§. IV. *Neceſſaria fuit lux Angelica, vt duplex iuſtitiæ aut Dei dilectio fieret ad mentem S. AVGVSTINI actu intelligibilis?*

LVI. POſſe hominem infirmum naturaliter diligere Deum. aut iuſtitiam, videtur primâ facie dogma Pelagianum. Nec poſſibile apparet dilectionem Dei aut iuſtitiæ naturalem condiſtinctam à dilectione Dei aut iuſtitię ſupernaturali, poſſe cum GRATIÆ AVGVSTINIANÆ doctrinâ ab Eccleſia receptâ conuenire. Fateor impoſſibile eſſe apud homines, qui humano lumine legunt S. AVGVSTINVM. Sed omnia in litterâ AVGVSTINIANA latentia poſſibilia ſunt erui apud Solem Angelicum D. THOMAM Aquinatem, qui infuſo ſibi diuinitùs lumine profundiſſimi Magiſtri ſui mentem intimè penetrauit. Tanta eſt Eccleſię Solis S. AVGVSTINI profunditas doctrinę; vt nonniſi altero Eccleſiæ Sole S. THOMA Aquinate ſine errore potuerit intelligi, & exponi.

Sapientibus datus eſt D. THOMAS, vt gratiam oſtenderet perficere naturam, non deſtruere; rationem captiuari in obſequium fidei, non amitti; Deum eſſe & naturæ conditorem, & gratiæ largitorem. Quarè quæcumque vera Philoſophi de vltimo fine hominis, virtutibus, actuumque humanorum bonitate lumine rationis cognouêre, ea omnia in obſequium fidei rapuit Doctor Angelicus tamquam ab iniuſtis poſſeſſoribus. Quorum iniuſtitia in eo fuit. teſte Apoſtolo; g *Quia cùm cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

g. Rom. 1.

LVII. Quod enim à Deo acceperant ſibi tribuebant, & authorem omnium bonorum non agnoſcentes, in ſeipſis gloriabantur. Expreſſit eorum vocem ab omnibus ſine dubitatione ſubſcribendam Tullius; h *Virtutem, nemo vnquam,* inquit, *Deo acceptam retulit, nimirum rectè. Propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret ſi donum à Deo non à nobis haberemus.* Et in eadem diſputatione alio rurſum in loco expreſſiùs. *Num quis quòd bonus vir eſſet gratias dijs egit vnquam? At quòd diues, quòd honoratus, quòd incolumis Iouem optimum maximum ob eas res appellauit, non quod nos iuſtos, temperantes, ſapientes efficiat, ſed quòd ſaluos, incolumes, opulentos, copioſos.*

h. lib. de nat. Deor. in fine.

Inde Pelagiani ſuos errores hauſerunt & neceſſitatem gratię ad bonum opus faciendum negauerunt. Vox eorum etiam erat: *Si volo iuſtus ſum, ſi nolo iuſtus non ſum. In poteſtate habeo iuſtum eſſe & iuſtum non eſſe*, &, *Nos ipſi nos ipſos iuſtificamus.* Quibus occurrens S. AVGVSTINVS ſuperbam eorum deijcit præſumptionem neceſſitatem prædicans gratiæ ad ſingulos virtutis actus. Si ſit aliqua iuſtitię dilectio naturalis, quæ ad eam gratiæ neceſſitas? Quis non videt huiuſmodi dilectionem ex perturbatis philoſophię riuulis, non ex puriſſimis doctrinæ AVGVSTINIANÆ fontibus ſcaturire? Intellectum aſſume Angelicum, & diſcernes philoſophorum errores, quos redarguit S. AV-

GVSTI-

Digitized by Google

GVSTINVS à veritate doctrinæ, quam ab eis ad mentem S. AVGVSTINI rapuit Sapientum Doctor D. THOMAS, fideliſſimusque S. AVGVSTINI expoſitor. Cum tanto Doctore & expoſitore diſtinguamus GRATIAM ELICIENTEM à GRATIA PRÆDETERMINANTE, & ſubitò circumfulgebit nos lux de THOMA, & confeſtim cadent ab oculis mentis noſtræ, tamquam ſquamæ ab oculis corporeis, omnes philoſophorum errores, viſumque recipiemus ad doctrinam AVGVSTINIANAM in ſpiritu, non in littera intuendam. Mens & ſpiritus doctrinæ AVGVSTINIANÆ non GRATIAM ELICIENTEM exigit ad ſingulos virtutis actus, ſed ſolummodò GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, cum quâ erronea philoſophorum præſumptio in nihilum cadit.

LVIII. Nam ſecundùm GRATIAM PRÆDETERMINANTEM vt diſtinctam à GRATIA ELICIENTE verificatur confeſſio fidei, quam Concilium Paleſtinum apud Dioſpolim exigit à Pelagio; his verbis. *i Vt fateatur, quando contra tentationes, concupiſcentiaſque dimicamus, quamvis & illic propriam habeamus voluntatem, non tamen ex illâ, ſed ex adiutorio Dei noſtram prouenire victoriam: non enim aliter verum eſt; Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Verificantur & canones Concilij Arauſicani decernentis: *l Diuini eſt muneris, cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros â falſitate & iniuſtitiâ tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur operatur.* Rurſus: *m Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, vt faciat homo.* Item: *n Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.* Gratia prædeterminans ad vnum actum eſt quaſi vna gutta de fonte; ſed cum multiplicatis actibus multiplicetur & gratia prædeterminans, *quaſi guttis quibuſdam irrorati* non deficimus in via.

i. cap. 11.
l. Can. 9.
m. Can. 20.
n. Can. 22.

De GRATIA PRÆDETERMINANTE vt condiſtinctâ à GRATIA ELICIENTE, loquebatur Innocentius ſummus Pontifex: *o Quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores, neceſſe eſt enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.* Loquebatur & ex Zozimo Papâ Celeſtinus Orbis & Vrbis Epiſcopus: *p Quod ergo tempus ait,* (Zozimus Papa) *interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cogitationibus, motibus, adiutor, & protector orandus eſt. Superbum eſt enim vt quidquam ſibi humana natura præſumat clamante Apoſtolo, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed contra principes & poteſtates aëris huius, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, & ſicut ipſe iterum dicit: infelix homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, &c.*

o. Epiſt. 25. ad Concil. Carthag. & eſt 91. apud Aug.
p. Epiſt. 1. can. 9.

LIX. GRATIAM PRÆDETERMINANTEM, vt eſt à GRATIA ELICIENTE diſtincta, prædicabat gratiæ amator ſinceriſſimus & aſſertor fideliſſimus S. AVGVSTINVS Pelagianis reſpondens: *q ſi merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia. Quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem*

q. lib. de grat. & lib. arb. cap. 6.

dicant,

Digitized by Google

dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus; Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *Prorſus talia cogitanti veriſſimè dicitur, dona ſua coronat Deus, non merita tua; ſi tibi à teipſo, non ab alio ſunt merita tua: hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt; quæ mala ſunt non coronat Deus: ſi autem bona ſunt, Dei dona ſunt.* Eam propriè gratiam contra Pelagianos vocat: *r Legem in omnibus ſuis diſputationibus volunt intelligi gratiam, &c. vt ſcilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda ſunt nouerimus non INSPIRATIONEM DILECTIONIS, VT COGNITA SANCTO AMORE FACIAMVS, QVÆ PROPRIE GRATIA EST.* Et alibi ſe teſtatur à Pelagianis petere; *ſ ſuſpirationem charitatis, vt quod dicendo cognouimus, etiam diligendo faciamus. Sine qua,* alibi ait, *t nullum prorſus ſiuè cogitando, ſiuè volendo, & amando, ſiuè agendo faciunt bonum: non ſolum vt monſtrante ipſâ quid faciendum ſit ſciant, verum etiam vt præſtante ipſâ faciant cum dilectione quod ſciunt.*

r. lib. 4. ad Bonif. cap. 5.

ſ. Epiſt. 143.

t. lib. de corrept. & grat. c. 2.

LX. In ſenſu GRATIAE PRÆDETERMINANTIS vt à GRATIA ELICIENTE diſtinctæ ſoluit Sol Scholaſticorum D. THOMAS & AVGVSTINI MENS iſtam obiectionem: *a Aliqui non exiſtentes in ſtatu gratiæ magis abhorrent mala vitiorum, quam corporalia mala. Vndè quidam gentilium leguntur multa mala toleraſſe, ne patriam proderent, aut aliquid aliud inhoneſtum committerent: ſed hoc eſt verè patientem eſſe: ergò videtur quòd patientia poſſit haberi abſque auxilio gratiæ.* En obiectio de gentilibus formata, in quibus nulla eſt gratia eliciens; accipe ſolutionem Angelicam his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd bonum politicæ virtutis commenſuratum eſt naturæ humanæ. Et ideò abſque auxilio gratiæ gratum facientis poteſt voluntas humana in illud tendere, licet non abſque auxilio gratiæ Dei, ſed bonum gratiæ eſt ſupernaturale. Vnde in illud non poteſt tendere homo per virtutem ſuæ naturæ. Et ideo non eſt ſimilis ratio.*

a. 2. 2. q. 136. a. 3. ad 2.

Aliam ſoluit *b* obiectionem à Moliniſtis ſæpè decantatam, nempe: *Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, vt Auguſt. dicit: ſed incontinentiam nullus poteſt ex ſeipſo vitare ſecundum illud Sap. 8.* Scio quod non poſſum eſſe continens niſi Deus det. *Ergò incontinentia non eſt peccatum.* Molinianum planè argumentum. Reſpondet: *Ad primum ergo dicendum, quòd homo poteſt vitare peccatum & facere bonum, non tamen ſine diuino auxilio ſecundum illud. Ioan. 15.* Sine me nihil poteſtis facere. *Vndè per hoc quòd homo indiget diuino auxilio ad hoc quòd ſit continens, non excluditur quin incontinentia ſit peccatum: quia vt dicitur 3. Ethic. quæ per amicos poſſumus aliqualiter per nos poſſumus.*

b. 2. 2. q. 166. a. 2. ad 1.

Neceſſitatem GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS vt ab ELICIENTE GRATIA diſtinguitur, ſufficienter exprimit explicans *c* verba Apoſtoli, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Quæ verba primò exponit de gentibus ad fidem conuerſis, vt ly *naturaliter* idem ſit ac per naturam gratiâ reformatam. Secundò exponit de alijs gentibus dicens: *Vel poteſt dici naturaliter, id eſt, per legem naturalem oſtendentem eis, quid ſit agendum, ſecundùm illud Pſalm. 4. Multi dicunt quis oſtendit nobis bona, ſignatum, &c, Quòd eſt lumen rationis naturalis, in qua eſt imago Dei; & tamen non exclu-*

c. Rom. 2. lectione 3.

excluditur, *quin NECESSARIA SIT GRATIA AD MOVENDVM AFFECTVM : ſicut etiam per legem eſt cognitio peccati, vt dicitur infrà ; & tamen vlteriùs requiritur gratia ad mouendum affectum* In quo ſenſu alibi [d] refert S. AVGVSTINVM in libro de Spiritu & littera dicentem : *Non moueat quòd naturaliter dixit eos, quæ legis ſunt, facere : hoc enim agit ſpiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis.* d. 1. 2. q. 109. a. 4. ad 1.

LXI. Expreſſius ad intentum noſtrum gratiam prædeterminantem ab eliciente gratia diſtinguit in quæſtionibus diſputatis dicens : [e] *ſi gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalutem, ſic nec vllum bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei : ſed communiter loquentes vtuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali iuſtificante.* e. Verit. q. 24. a. 14.

Quod adhuc clariùs ante docuerat in ſecundum ſententiarum his verbis : [f] *Dicendum quòd ſicut ſuprà dixit Magiſter. Gratia dupliciter dicitur. Vno modo donum gratuitum. Alio modo ipſe Deus gratis dans. Dona autem gratuita propriè dicuntur, quæ naturalibus ſuperaddita ſunt, ſine quibus donis homo multa bona facere poteſt, quamvis non meritoria : nihil tamen boni poteſt facere ſine gratia Dei, ſecundùm quod intelligitur gratia ipſe Deus gratis dans, eò quod ipſe eſt principium omnis boni non tantùm in hominibus, ſed etiam in alijs creaturis. Et ſic intelligendum eſt quod dicitur,* ſine me nihil poteſtis facere. *Et ſic etiam poteſt intelligi quod Apoſtolus dicit quòd* non ſumus ſufficientes cogitare, &c. f. 2. diſt. 38. q. 1. a. 1. ad 1.

Denique eamdem doctrinam tradit Præceptor Angelicus prima ſecundę per totam quæſtionem centeſimam nonam; in quâ per virtutem naturæ ſuperadditam intelligit GRATIAM ELICIENTEM, ſiue aliquod habituale donum; per auxilium diuinum ſignificat GRATIAM PRÆDETERMINANTEM; ſine auxilio diuino nullum verum docet poſſe à nobis cognoſci, neque vllum bonum poſſe fieri; at ſine virtute ſuperaddita naturę poſſumus aliquod bonum naturæ proportionatum facere, quamvis non omne; ſicut & aliquod verum poſſumus cognoſcere.

Quibus omnibus manifeſtè conficitur, quòd ſine GRATIA PRÆDETERMINANTE nullus virtutis actus fieri à nobis poſſit. Quò ſufficienter deijcitur erronea Philoſophorum præſumptio, quâ virtutes ſibi tribuebant, in ſeipſis, non in Domino gloriantes. Multa tamen bona poſſumus facere ſine GRATIA ELICIENTE. Quo gemina iuſtitiæ aut Dei dilectio, quæ in litterâ AVGVSTINIANA eſt quaſi *in potentia intelligibilis* fit lumine diſtinctionis Angelicæ *actu intelligibilis*, ad mentem S. AVGVSTINI. Quod erat intentum præſentis paragraphi.

§. V. *Obiectio plurimùm annotanda, ex quâ ANGELICA doctrina cum AVGVSTINIANA magis conciliatur.*

LXII. VIdere videor ad recitata Angelici Solis teſtimonia lectorem commoueri, quaſi ad rem nihil pertinentia. Non enim alterius auxilij ad ſingu-

ſingulos virtutis actus inducunt neceſſitatem, quàm auxilij primi mouentis; quod eſt commune & omni ſtatui naturæ tam ſanæ, quàm infirmæ, & omnibus actibus liberis, tam jis, qui ſunt in poteſtate noſtra, quàm ijs, qui non ſunt in poteſtate noſtra. Certum eſt Concilia adducta, Pontifices Summos, & S. AVGVSTINVM loqui de quadam ſpeciali gratia, quę per Chriſtum datur. Nihil igitur ad rem pertinet, auxilij primi mouentis neceſſitas.

Non turbetur cor veſtrum, LECTOR CORDATE, accede ad Solem ANGELICVM, inſpice profunditatem Orbis Magiſtri; & ipſe te illuminabit, ſi non fueris *Moliniſmo* præuentus. De auxilio primi mouentis ad agendum agit D. THOMAS, quod non eſt *Moliniſticè* concipiendum quaſi aliquid commune datum operanti & non operanti; ſed ANGELICE eſt intelligendûm, vt ſoli & omni operanti datum; cuius proinde primum eſt munus diſcernere operantem à non operante: in quo eſſentialiter & vniuerſaliter diſtinguitur à principio quocumque *eliciente tantùm.* Quarè aſſerere neceſſitatem iſtius auxilij ad ſingulos virtutis actus, eſt aſſerere neceſſatium eſſe ad quemlibet virtutis actum aliquod Dei auxilium, quo faciens quemlibet virtutis actum diſcernatur à non faciente illum; & conſequenter eſt aſſerere ad ſingulos actus bonos, neceſſitatem auxilij non omnibus dati; quia facienti datur, non facienti denegatur. Ex qua neceſſitate ſtatim excluditur omnis creaturæ præſumptio, & conſpicitur veritas Apoſtolici teſtimonij, *Quis enim te diſcernit? &c.*

LXIII. Hoc eſt omni auxilio primi mouentis commune, diſcernere operantem à non operante, & hoc eſt omni operanti proprium prout à tali auxilio mouetur, nihil habere, in quo tamquam non accepto gloriari poſſit. In

g. Ioan. 15. iſto intuitu præclarè explicat D. THOMAS verba Chriſti dicentis: g *ſine me nihil poteſtis facere:*

h. lect. 1. „ In quo, inquit, h & corda inſtruit humilium, & ora obſtruit ſuperborum, „ & præcipuè Pelagianorum, qui dicunt bona opera virtutum & legis ſine „ Dei adiutorio ex ſeipſis facere poſſe; in quo dum liberum arbitrium aſſe-„ rere volunt, magis illud præcipitant. Ecce enim Dominus hìc dicit, quòd „ ſine ipſo non ſolùm magna, ſed nec minima, imo nihil facere poſſumus. „ Nec mirum: quia nec Deus ſine ipſo aliquid facit, ſuprà 1. *ſine ipſo factum* „ *eſt nihil.* Opera enim noſtra aut ſunt virtute naturæ, aut ex gratia diuina. „ (*En duplex principium eliciens*) *ſi virtute naturæ,* cùm omnes motus naturæ „ ſint ab ipſo verbo Dei, nulla creatura ad aliquid faciendum moueri poteſt „ ſine ipſo. Si verò *virtute gratiæ,* cùm ipſe ſit auctor gratię: quia *& veritas* „ *per Ieſum Chriſtum facta eſt,* vt dicitur ſuprà; manifeſtum eſt, quòd nullum „ opus meritorium ſine ipſo fieri poteſt, 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus* „ *aliquid cogitare in nobis, &c.* Si ergo nec etiam cogitare poſſumus niſi ex „ Deo, multò minus nec alia. Hæc D. THOMAS.

LXIV. Attende, CORDATE LECTOR, iſto prçciſè auxilio primi mouentis diſtingui quidem operantes à non operantibus, ſed non diſcerni operantes inter ſe. Non enim ex auxilio primi mouentis habetur, quòd operans liberè diſcernatur ab operante contingenter, aut neceſſariò; quod aliquis operetur vt ſanus, alter operetur vt infirmus; vnus cum ſufficientia virium, alius non

Digitized by Google

non precedente tali ſufficientia; hic habens actum in ſua poteſtate, iſte non habens actum in ſua poteſtate; quidam vt motus & mouens ſe, quidam vt motus tantùm; quidam ſequens rationem, quidam ſequens fidem; vnus per dilectionem Dei naturæ creatæ proportionatam, alius per dilectionem Dei naturæ increatæ propriam. Omnis hæc diſcretio non eſt ab auxilio primi mouentis præciſè, benè tamen ab eo vt per principium eliciens modificato, ſecundùm exigentiam actus. *Nam motio primi mouentis, non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, ſed in vnoquoque ſecundùm modum proprium*, ait D. THOMAS relatus in THOMISTARVM TRIVMPHO varijs locis, *i* quibus ita dilucidè explicatur ſuauitas prædeterminationis phyſicæ, vt ad oculum videatur nec contingentiæ, nec libertati contraria, ſed vtramque fortiter diſponere & firmare.

i. THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo I. c. I. a. 3. §. 5. tom. 3. cap. 3. §. 4. Theologus Louanienſis §. 7.

Quocircà vt ſcias diſcernere inter auxilium primi mouentis vniuerſale & ſpeciale; inter auxilium primi mouentis naturale & ſupernaturale; inter auxilium primi mouentis ſanans & non ſanans; inter auxilium primi mouentis *oratione impetrandum*, & *fiduciâ conſequendum*; reſpice principium eliciens. Nam ſi principium eliciat actum dependenter ab actu præcedente, auxilium primi mouentis erit *vniuerſale*, id eſt, à Deo vt agente vniuerſali procedens, quia mouet dependenter ab actione cauſæ ſecundę; ſi verò principium eliciat actum independenter ab aliquo actu præcedente, auxilium primi mouentis erit *ſpeciale*, id eſt, à Deo vt agente particulari procedens, quia mouet independenter ab actione cauſę ſecundę. Dicitur enim Deus agens vniuerſale in illis, quæ facit medijs cauſis ſecundis, v. g. dum cum Sole & homine producit hominem. Dicitur autem Deus agens particulare in illis, quę facit immediatè, vt dum creat animam rationalem.

Auxilium primi mouentis dicetur propriè ſecundùm ſubſtantiam facti *naturale*, quando principium eliciens, quod applicat, eſt natura aut ratio; dicetur verò ſecundùm ſubſtantiam facti *ſupernaturale*, quando principium eliciens quod applicat, eſt gratia ſanctificans, aut fides. Vt dicatur *ſanans* ſiuè *infirmitatis auxilium*, debet principium eliciens non eſſe ſufficiens, & cum ex principio inſufficienti non habeat agens liberum actum in ſua poteſtate, erit quoque tale primi mouentis auxilium *oratione impetrandum*. Vt autem dicatur non *ſanans*, ſiuè *ſanitatis auxilium*, debet principium eliciens eſſe ſufficiens; & cum ex principio ſufficienti habeat agens liberum actum in ſua poteſtate, tunc tale primi mouentis auxilium *fiduciâ obtinetur*. De quo vide THOMISTARVM TRIVMPHVM. *l*

l. THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo 1. cap. I. a. 5. §. 5.

LXV. Scrutare, CORDATE LECTOR, profunda ANGELICÆ doctrinę. Si in ſuperficie hęſeris, veritatem non hauries. Dum enim ait D. THOMAS, naturam humanam tam ſanam, quàm infirmam ad ſingulos actus virtutis, proportionatos naturæ ſuæ, indigere auxilio diuino vt primo mouente, non aliqua gratia eliciente; ſi in ſuperficie hæſeris, putabis ad actus bonos naturæ humanæ proportionatos non eſſe maiorem indigentiam hominis infirmi, quàm hominis ſani; ſiquidem, vt ſonat littera, ſolo primi mouentis diuino auxilio vterque indiget. Verùm intra in profundum maris Angelici, & veritatem diſcriminis hauries. Nam auxilium primi mouentis modificatur in vnoquoque

que

Digitized by Google

que ſecundùm proprium cuiuſque modum. Particula excluſiua ***Solum*** non excludit iſtam modificationem, quæ eſſentialiter concomitatur omne primi mouentis auxilium, ſed excludit principium eliciens ſuperadditum.

Quare dum dicitur hominem ſanum ſolo primi mouentis auxilio indigere ad actus bonos, intelligitur de auxilio modificato ſecundùm exigentiam ſanitatis, & dum dicitur hominem infirmum ſolo auxilio primi mouentis indigere, intelligitur etiam de auxilio modificato ſecundùm exigentiam infirmitatis. Exigit autem ſanitas vt amor iuſtitię in particulari operabili ſit actus ſecundus ex alio primo actu deductus; exigit ſanitas vt cum ſufficientia virium operetur, habeatque amorem iſtum in ſua poteſtate. Ex quo manifeſtè ſequitur auxilium primi mouentis in homine ſano eſſe vniuerſale, nihil conferre ex parte poſſe, & *fiduciâ* non *oratione* conſequendum, ſumendo orationem ad mentem S. AVGVSTINI. E contrariò exigit infirmitas, vt amor iuſtitiæ in particulari operabili ſit primus actus, vt ad iſtum amorem careat ſufficientiâ virium, eumque non habeat in ſua poteſtate; vnde apertè deducitur auxilium primi mouentis in homine infirmo eſſe ſpeciale, & conferens aliquid ex parte poſſe, ac proinde *oratione* impetrandam. Conſule THOMISTARVM TRIVMPHVM. [m] Communis eſt indigentia, ſed inęqualis diſpoſitio, ideoque inęqualis modificatio, & inæquale auxilium.

[m] THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. cap. 3. per totum.

LXVI. Duo habet auxilium primi mouentis; vnum *ex ſe*; alterum *ex modificatione* principij elicientis, in quo recipitur. *Ex ſe* habet *fortiter prædeterminare*, id eſt, cum tantâ efficaciâ, vt cum motione illius non poſſit componi non actus. *Ex modificatione* habet *ſuauiter prædeterminare*, quia vnicuique ſe attemperando, in contingentibus cauſis efficit actus contingentes, in liberis efficit actus liberos; in homine robuſto efficit actum robore plenum, in homine infirmo efficit actum infirmitate circumdatum. Eadem eſt vbique illius efficacia; ſed inæqualis effectus, vbi inæqualis eſt illius attemperatio & ſuauitas. Quemadmodum anima eâdem motionis efficaciâ quantum eſt ex parte ſuâ, mouet & membra robuſta, & membra debilia; ita & Deus eâdem gratię ſuæ efficaciâ mouet & hominem robuſtum, & hominem infirmum.

Sic clariſſima fit S. Fulgentij fidiſſimi S. Auguſtini diſcipuli ſententia: *Non alia*, ait, [n] *ſtantem Angelum potuit a ruina cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Vna eſt in vtroque gratia operata; in hoc vt ſurgeret, in illo ne caderet, in illo, ne vulneraretur, in iſto vt ſanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſinit.*

[n] lib. 2. ad Traſimund.

LXVII. Non hìc menſuratur ANGELICÆ profunditas doctrinæ. Scrutemur vlteriùs, & hauriemus, quòd impotentia hominis infirmi non oritur ex defectu principij elicientis & alicuius habitus, ſed ex defectu principij applicantis, quod eſt amor virtutis ſeu iuſtitię, aut amor Dei. Homo infirmus naturaliter amat vitam; naturaliter amat ſcientiam; naturaliter amat virtutem, ſed occurrente particulari operabili, iſte naturalis amor virtutis non eſt ſufficiens vt ex illo applicet ſe ad volendum opus iuſtitię hic & nunc occurrens, propter motum præuenientis concupiſcentiæ, Defectus autem amoris ſufficientis non tollitur niſi gratuito primi mouentis auxilio inſpiretur fortior amor iuſtitię, quàm ſit amor delectabilis, quo à concupiſcentia præuenitur. Quarè optimè

Digitized by Google

optimè & neruosè neceſſitatem gratię ad ſingulos virtutis actus tam in homine ſano quàm in homine infirmo deducit Angelicus Doctor ex gratuito primi mouentis auxilio. Nec idcò ſanitas cum infirmitate confunditur; quia efficacia prædicti auxilij ſecundùm exigentiam vtriuſque operatur; Nam in homine ſano operatur amorem iuſtitię in particulari operabili ex amore præuio & ſufficiente iuſtitię, in homine autem infirmo operatur independenter ab alio præuio amore, fortiorem iuſtitię amorem, quàm ſit amor concupiſcentiæ. In homine ſano nihil confert ex parte potentiæ elicientis, nec ex parte principij applicantis. In homine infirmo quamvis nihil conferat ex parte potentiæ elicientis, confert tamen aliquid ex parte principij applicantis, videlicet victoriam concupiſcentię, cuius motus eſt ad inſtar impedimenti. Ex quo gratuitum primi mouentis auxilium eſt, vt dixi ſuprà in homine infirmo ſpeciale auxilium, & ad actum, qui non eſt in poteſtate hominis infirmi, ideoque ſecundùm S. AVGVSTINVM *oratione* impetrandum.

LXVIII. Quid iſti doctrinæ ANGELICÆ deeſt de doctrinâ AVGVSTINIANA? duobus argumentis vrgebat Pelagianos, Apoſtolico videlicet teſtimonio, *Quid habes quod non accepiſti?* &c. & precibus Eccleſiæ. Primum argumentum oſtendit, in nullo eſſe gloriandum cum nihil ſit noſtrum; quam veritatem vſque ad ipſum Chriſtum extendit S. AVGVSTINVS explicans verba Pſalmi 3. quæ profert Chriſtus ad Patrem; *gloria mea & exaltans caput meum*, hæc inquam explicans S. Doctor ait; *gloriam ſuam Deum dicit etiam ille, quem ſic ſuſcepit Dei verbum, vt ſimul cum eo fieret Deus: diſcant ſuperbi qui non libenter audiunt, cum eis dicitur, quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* ſi Chriſtus nihil ſuum habet in quo ſit gloriandum; multò minùs Angeli & homo ſanus habebunt aliquid ſuum in quo ſit gloriandum. Vnde hoc? niſi quia omnes indigent auxilio primi mouentis, quod ex ſe & ex naturâ phyſicę prædeterminationis omne noſtrum tollit in bonâ operatione. Vis igitur primi Argumenti AVGVSTINIANI fundatur in eo quod habet auxilium primi mouentis *ex ſe*; & ideo in omni creaturâ rationali & pro omni illius ſtatu exerit ſuam vim. At ſecundum argumentum ex precibus Eccleſię deductum oſtendit hominis infirmitatem; vnde fundatur in eo, quòd habet auxilium primi mouentis ex *modificatione recipientis*: & quia alia eſt in Angelis, alia in homine ſano *modificatio*; fit vt prædictum Argumentum in ſolo homine infirmo ſuam vim exerat. Vtinam id aduertiſſent, qui ſine lumine Angelico ſtudent S AVGVSTINO; nunquam ad *Molinam* confugiſſent, vna manu *Molinismum* reædificantes, quem aliâ manu glorioſè deſtruxerant.

LXIX. Denique ex *modificatione recipientis* habet auxilium primi mouentis quòd ſit gratia Chriſti. Sciendum eſt quòd actio inferioris agentis tendit ex motione ipſâ ſuperioris agentis in finem ſuperioris, primi mouentis finis eſt finis vltimus cuiuſcumque operantis. Omnis ergo actio bona creaturę rationalis quam vt primum mouens interiùs operatur Deus, tendit in vltimum ſuum finem ex ipſo primi mouentis auxilio. Si homo non fuiſſet eleuatus ad participandum ea, quę ſunt propria naturę diuinæ, vltima hominis perfectio foret vita ſecundùm rationem in cognitione & amore Dei conſiſtens per cogni-

 tionem

tionem & amorem ordinatum creaturarum; & ad iſtam perfectionem in omni ſua bona operatione tenderet homo, vt eſt agens per intellectum & voluntatem ex ipſa motione primi mouentis. Nunc ſuppoſitâ eleuatione ad vitam ſecundùm Deum & diuinam beatitudinem, vita ſecundùm rationem & humana beatitudo non eſt amplius vltimus finis, ſed vita ſecundùm Deum & diuina beatitudo eſt vltima hominis deificati perfectio, ſicut eſſe ſurſum eſt perfectio vltima ligni igniti. Ex quo fit vt omnis vita ſecundùm rationem, omniſque boni cognitio & amor, tendant in vitam ſecundùm Deum & diuinam beatitudinem ex ipſa motione primi mouentis. Cumque illius vltimi finis ſuperexcedentis mediator ſit Chriſtus Dominus, oportet vt illius intuitu donetur omne primi mouentis auxilium, quod recipitur in principio eliciente capaci diuinæ beatitudinis, aut alicuius ex eâ redundantis.

Addendum tamen eſt, quòd diuina beatitudo in hominibus eſt liberans à peccato; in Angelis verò eſt ſolùm perficiens & conſummans. Doctrina eſt vtriuſque ſolis propter liberationem à peccato veniſſe Chriſtum. Vnde beatitudo diuina vt liberans à peccato eſt vltimus finis hominis, propter cuius conſecutionem per ſe primò fuit prædeſtinatus Chriſtus hominum redemptor; ex conſequenti tamen ad maiorem redemptoris gloriam fuit etiam conſtitutus caput Angelorum. Quarè auxilium primi mouentis in principio eliciente & diuinæ beatitudinis capaci receptum, eſt tam in hominibus, quàm in Angelis gratia Chriſti, id eſt, per Chriſtum data; ſed ex diuersâ *modificatione* eſt in hominibus *gratia redemptiua*, id eſt, à peccato liberans; in Angelis eſt gratia ſolùm perficiens & conſummans. Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM.[a]

[a] THOMISTAR. TIVMPHVS tom. 1. cap. 2. in Appendice de cauſa Prædeſtinationis ſect 3.

§. VI. *Abſurda redditur S. AVGVSTINI Doctrina, ſi ſecundùm occidentem* Baij *litteram, & non ſecundùm viuificantem D. THOMÆ ſpiritum exponatur.*

LXX. IN tribus abſurdam reddit S AVGVSTINI doctrinam occidens *Baij* littera. Primum abſurdum eſt negare duplicem iuſtitiæ, aut Dei amorem, vnum per quem ratio operatur, alterum per quem fides aut lumen gloriæ operatur. Ex hoc abſurdo duo alia conſequuntur, nempe ſecundum, quo negatur creaturam rationalem condi poſſe ſine gratiâ adoptionis Filiorum Dei & ſine ordine ad regnum cœlorum; & tertium, quo affirmatur omnia infidelium opera eſſe peccata. De his tribus fusè pertractauimus in Opuſculo *de Natura pura*, ad id ſpecialiter deſtinato, quod inuenies in THOMISTARVM TRIVMPHO, [b] ex quo breuiter colligemus quæ trium iſtorum abſurditatem maximè oſtendunt, vt notum ſit omnibus, non aliud datum eſſe lumen, quàm ANGELICVM, in quo oporteat nos AVGVSTINVM ſine errore diſcere, eiuſque veritates, nulla falſitatis commixtione tutiſſimè & inconcuſsè tenere.

[b] THOMISTAR. TRIVMPHVS tomo 2. Opuſc. 2.

LXXI. An-

Digitized by Google

LXXI. Antequam ſingulas abſurditates percurramus, vnam omnibus communem proponimus. Abſurdum maximè eſt doctrinam aliquam ab Eccleſiâ damnatam adſcribere S. AVGVSTINO: ſi enim littera S. AVGVSTINI præ ſe fert aliquid ab Eccleſiâ proſcriptum, maximè occidens eſt & abſurdam reddens tanti Doctoris Eccleſiæ doctrinam, ſecundùm illum litteræ ſenſum expoſitam. Notum eſt Pium V. & Gregorium 13. inter varios Baij articulos, damnaſſe ſequentes:

Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio nonniſi ad peccandum valet. Loquitur in ſenſu Baij de gratia ab auxilio primi mouentis diſtinctâ, vt patet ex ſequentibus.

Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſolâ Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.

Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, id eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiuè non malus, & gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit, & docet.

Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

LXXII Facultas etiam Theologica Louanienſis Doctrinæ AVGVSTINIANÆ addictiſſima ad petitionem Illuſtriſſimi Domini Vercellenſis Epiſcopi per vtramque Germaniam Nuncij Apoſtolici hæc ſcripſit: *Non ſic omnia boni principia euulſa ſunt, vt liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio nonniſi ad peccandum valeat. Multa quippe ſunt, quæ vel ad humanos vſus, vtiliter, vel ad excolendos, ornandoſque vitæ mores laudabiliter; vel ad Reſpublicas conſtituendas, induſtriè prudenterque ex primi honoris reliquiis protulit, neque ea inquantum eiuſmodi ſunt, peccata cenſeri vllo modo rectè poſſunt.* Et poſt pauca: *Quocirca qui boni aliquid naturalis, id eſt, quod ex ſolis naturæ viribus, non ex illa per Chriſtum ſpeciali ortum ducit gratiâ,* (intellige *eliciente* & ab auxilio primi mouentis diſtincta) *agnoſcit, minimè is cum Pelagio in parte ſentire, ſeu Pelagiana hæreſi errare & labi dicendus eſt, ſed perſpicuæ acquieſcere veritati* Sic refert eximius Dominus ac Magiſter Noſter SYLVIVS, Almæ huius Duacenæ Vniuerſitatis ſidus Fulgentiſſimum. [b] b. in 1. 2. q. 109. a. 2. Quæri poteſt.

Primum abſurdum deducitur.

LXXIII NVllus inficiari poteſt abſurdum eſſe, negare duplicem iuſtitiæ aut Dei cognitionem: vnam lumine rationis, aliam lumine fidei, vtramque à Deo donatam: ergo non minus abſurdum erit negare duplicem iuſtitiæ aut Dei dilectionem, vnam per quam ratio, aliam per quam fides operatur, vtramque à Deo inſpiratam. Vis conſequentię in hoc conſiſtit, quòd teſtimonia Conciliorum & S. AVGVSTINI ſuperius [c] commemorata æqualiter loquantur de cognitione & amore. Dicit CONCILIVM ARAVSICANVM, *Nemo habet de ſuo niſi MENDACIVM & peccatum.* Dicit Innocentius, *Nullatenus vincere humanos poterimus ERRORES*; Dicit c. num. 58. & 59.

 Cæle-

Cæleſtinus, *In omnibus igitur actibus, COGITATIONIBVS, motibus, adiutor & protector orandus eſt:* Dicit S. AVGVSTINVS, *nullum prorſus ſiuè COGITANDO, ſiue volendo & amando, ſiue agendo faciunt bonum.* In his omnibus æqualis aſſeritur gratiæ neceſſitas & ad bonas cogitationes, & ad bonas voluntates. Nonobſtante iſtâ gratiæ neceſſitate ad bonas cogitationes abſurdum eſt negare duplicem cogitationem bonam, vnam ex lumine rationis aliam ex lumine fidei; Nec ergo eadem gratię ad amorem bonum neceſſitas, oberit, quo minùs abſurdum ſit, negare duplicem voluntatem bonam, vnam ex amore iuſtitię per quem ratio operatur, alteram ex amore iuſtitiæ per quem fides operatur.

LXXIV. Decepti ſunt aduerſarij in amore legis æternæ; ex vnitate legis æternæ vnitatem concluſerunt amoris. Cùm enim lex æterna ſit tantùm vna, vnus, inquiunt, tantùm poteſt eſſe amor legis æternæ; Amor autem iuſtitię non eſt aliud, quàm amor legis æternę. Veniat lux Angelica. Lex æterna eſt quidem vna; ſed ſicut multiplex eſt eius cognitio, ita & multiplex amor.

d. 1. 2. q. 93. a. 2. *Dupliciter*, ait Sol Angelicus, [d] *aliquid cognoſci poteſt, vno modo in ſeipſo: alio modo in ſuo effectu, in quo aliqua ſimilitudo eius inuenitur: ſicut aliquis non videns ſolem in ſua ſubſtantia, cognoſcit ipſum in ſuâ irradiatione. Sic igitur dicendum eſt, quòd legem æternam nullus poteſt cognoſcere, ſecundùm quod in ſeipſa eſt, niſi ſolus Deus, & beati, qui Deum per eſſentiam vident. Sed omnis creatura rationalis ipſam cognoſcit ſecundùm aliquam eius irradiationem, vel maiorem, vel minorem. OMNIS ENIM COGNITIO VERITATIS EST QVÆDAM IRRADIATIO ET PARTICIPATIO LEGIS ÆTERNÆ, QVÆ EST VERITAS INCOMMVTABILIS, vt AVGVSTINVS dicit in lib. de verâ religione. Veritatem omnes aliqualiter cognoſcunt, ad minùs quantùm ad principia communia legis naturalis. In alijs verò quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis: & ſecundùm hoc etiam plus vel minus cognoſcunt legem æternam.*

Quemadmodùm omnis cognitio veritatis eſt quędam legis æternæ cognitio, ita & omnis amor veritatis eſt quædam legis æternæ dilectio. Sicut ergo duplex veritas cognoſcitur, vna quam demonſtrat ratio, alia quam reuelat fides; ita & duplex veritas amatur, vna per rationem demonſtrata, alia per fidem reuelata.

LXXV. Decepti ſunt ſecundò Aduerſarij non diſtinguentes ea, quæ ſunt per ſe fidei ab illis, quę per accidens pertinent ad fidem. Cognitio bonitatis diuinæ, quæ ex creaturis lumine rationis cognoſci poteſt, per accidens pertinet ad fidem. Nec in illis fides variat dilectionem; idem eſt Dei amor in eo, qui lumine rationis cognoſcit Deum eſſe omnis bonitatis creatæ principium, & in eo qui credit. Motiuum amandi eſt quia v. g. *Deus fecit me*, ſiuè hoc per rationem cognoſcam, ſiuè hoc per fidem credam, idem ſemper erit Dei amor. Amatur enim bonitas diuina vt ad extra communicatur. Bonitas verò diuina, quę ex fide per ſe reuelatur, eſt bonitas diuina vt ad intra communicatur, & amor illius eſt planè diuerſus à præcedente.

Actiones noſtrę exteriores alijs innoteſcunt, qui ſpiritum noſtrum non habent; cogitationes verò cordis noſtri, & ea quę interiùs geruntur nemo no-

nouit, niſi qui ſpiritum noſtrum habuerit, aut cui voluerimus reuelare. Ita ea quę ad extra facit Deus, ratio cognoſcit & Deum in illis; ſed quę intra Deum in communicatione trium perſonarum geruntur nemo nouit niſi qui ſpiritum Dei habuerit aut cui voluerit ille reuelare. Vlteriùs ſi quis ex noſtris exterioribus actionibus & factis nos cognoſceret & amaret, ignorans ea quę interiùs geruntur bona, is *exteriorem* noſtrum *hominem* tantùm amaret, non verò *interiorem* noſtrum *hominem*; ita ſi fas ſit dicere, amore, ad quem ratio ducit, amatur ſolummodò *DEVS EXTERIOR*, ſed amore, quem reuelat fides, amatur *DEVS INTERIOR.* De iſto *DEO INTERIORE* (detur venia verbo) loquitur Apoſtolus [e] dum ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per SPIRITVM SVVM.* Deinde probans Deum reuelaſſe, quæ in cor hominis aſcendere non poterant, ſubiungit: *Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei, Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM, *f* qui abſurdum hoc latè deducit.

e. 1. Cor. 2.

f. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. de Natura puræ. cap. 2. 3. & 4.

Secundum abſurdum exponitur.

LXXVI. Nihil mihi adeò abſurdum videtur, quàm creaturam rationalem non poſſe creari à Deo ſine gratiâ adoptionis Filiorum Dei, & ordine ad regnum cœlorum. Idque cuilibet CORDATO apparebit, ſi gratiam adoptionis, regnumque cœlorum ſecundum naturam ſuam & dignitatem expenderit. Natura inferior ſuas habet operationes connaturales & proprias longè diſtinctas ab operationibus connaturalibus & proprijs naturæ ſuperioris; & ad has eleuari non poteſt niſi ex participatione aliquâ naturę ſuperioris. Sicut terra ſuas habet operationes connaturales longè diſtinctas ab operationibus ignis connaturalibus, & ad has eleuari non poteſt niſi fiat ignita. Natura diuina eſt natura infinitè ſuperior ad naturam rationalem; vtraque ergò habet cognitionem & amorem ſibi connaturalem & proprium. Ex quo fit vt ad eam cognitionem, eamque dilectionem, quæ Deo connaturales & propriæ ſunt non poſſi natura rationalis eleuari niſi ex participatione naturę diuinę diuina fiat, & quodammodò deificetur.

Gratia adoptionis eſt participatio naturę diuinæ, ſecundùm quam efficimur, ait Apoſtolorum Princeps, *g* *diuinæ conſortes naturæ.* Regnum cœlorum eſt ipſa diuina operatio, quâ Deus intra ſe beatus eſt in vnitate naturę triumque perſonarum conſortio. Iudica, CORDATE LECTOR, annon ita ſit abſurdum, dicere naturam rationalem non poſſe creari ſine gratiâ adoptionis & ordine ad regnum cœlorum ſicut dicere terram non poſſe creari ſine eo quod fiat ignita & ad locum ſurſum ordinetur. Maior eſt proportio terræ ad ignem & ad locum ſurſum, quàm ſit proportio naturæ rationalis ad Deum diuinamque illius beatitudinem. Sicut ſe habet terra ignita, ita natura rationalis per gratiam deificata; ſicut terrę ignitę quies in

g. 2. Pet. 1.

pro-

proprio ignis loco competit, ita & naturæ rationali per gratiam deificatę
competit diuina beatitudo ſeu regnum cœlorum. Quis non derideret aſſe-
rentem, fieri terrę iniuriam, ſi non fiat ignita, & à loco ſurſum exclud-
atur? Derideantur ergò & Angelici luminis deſertores, qui aſſerunt, fieri
creaturæ rationali iniuriam, ſi diuinæ non efficiatur conſors naturæ, ſi à di-
uinâ excludatur beatitudine.

LXXVII. Ipſa adoptionis natura abſurditatem demonſtrat Aduerſariorum.
h. 1. Ioan. 3. *Videte*, ait [h] Diſcipulus, quem diligebat JESUS, *qualem charitatem dedit*
nobis Deus, vt Filij Dei nominemur & ſimus. Ex quo ſic diſcurrit THO-
MISTARVM TRIVMPHVS: [i] Certiſſimum eſt, filiationem Dei non eſſe
i. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. n. 22. debitam nec connaturalem creaturę rationali in Chriſto: ergò multò minùs
in alijs hominibus. Patet conſequentia, quia filiatio Dei in Chriſto eſt na-
turalis, in alijs autem hominibus eſt adoptiua. Si homo ille, qui factus eſt
Filius Dei naturalis, nullam habuit exigentiam & connaturalitatem ad hoc
quòd eſſet Filius Dei naturalis; qualis exigentia & qualis connaturalitas fin-
gi poterit in alijs hominibus ad hoc, quòd ſint Filij Dei adoptiui? In hu-
manis ex ſolâ hominis bonitate, & ex mero illius beneplacito adoptatur
aliquis in Filium; & diuina adoptatio iure naturę poſſidebitur à creaturâ
rationali? Quid eſt Filius hominis, & quæ eius tanta dignitas, vt non poſ-
ſit eſſe Filius hominis, quin ſimul ſit Filius Dei; vt non poſſit ex volunta-
te viri naſci, quin ex Deo naſcatur; vt non poſſit caro fieri, quin deifice-
tur; vt denique non poſſit humanam accipere naturam ſine Diuinę conſortio
naturę; fiatque ei iniuria ſi non eleuetur ad illam vnitatem, de qua dictum
l. Ioan. 17. eſt; [l] *vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus.* Hęc in THOMISTARVM
TRIVMPHO diximus, & plura alia, quæ clariſſimè ex ipſis Aduerſario-
rum principijs prædictam demonſtrant abſurditatem.

LXXVIII. Decepti ſunt Aduerſarij non diſtinguentes beatitudinem obie-
ctiuam à formali; vna eſt naturæ diuinę & naturę rationalis beatitudo obie-
ctiua, nempe Deus; ſed multiplex eſt beatitudo formalis, vt pote in ope-
ratione conſiſtens. Beatitudo formalis naturę diuinę eſt operatio increata &
diuina; Beatitudo formalis naturæ rationalis eſt operatio creata, vel Angeli-
ca, vel humana. Deus beatificat naturam diuinam *modo Dei*, Deus beatifi-
cat naturam rationalem *modo creaturæ*. Per gratiam adoptionis eleuatur crea-
tura rationalis ad beatitudinem formalem Diuinę naturæ, & in regno cœlo-
rum Deus beatificat naturam rationalem *modo Dei*. Quamvis creatura ratio-
nalis ex eo quòd ſit imago Dei habeat ius ad beatitudinem formalem ſibi
propriam, & ad hoc vt à Deo tamquam obiecto beatificetur *modo creatu-*
ræ; Non tamen niſi abſurdè dici poteſt creaturam rationalem habere ius ad
beatitudinem formalem diuinæ naturæ, & ad hoc quod à Deo tamquam
obiecto beatificetur *modo Dei*.

Adhuc ſubtiliùs & efficaciùs hallucinationem perquiramus Aduerſariorum
lumen ANGELICVM reſpuentium. In beatitudine obiectiuà Deus conſide-
ratur vt diſtinguitur à creaturis; In duplici beatitudine formali conſideratur
Deus, vt diſtinguitur ſecundum conceptus noſtros à ſeipſo, eo quaſi modo,
m. num. 75. quo *homo exterior* diſtinguitur in nobis ab *homine interiori*, ſicut ſuprà [m] innui-
mus.

mus. *DEVS INTERIOR* beatificat naturam diuinam connaturaliter; *DEVS EXTERIOR* beatificat naturam rationalem connaturaliter. Per gratiam adoptionis eleuatur ad conſortium diuinæ beatitudinis, ita vt *Deus interior* etiam ipſam beatificet. *Deus exterior* eſt Deus in creaturis vnus relucens; *Deus interior* eſt Deus in tribus perſonis vnus ſubſiſtens. Si homo non eſſet eleuatus ad diuinam beatitudinem, quieſceret in *Deo exteriore* in creaturis vno relucente; ſed ſuppoſitâ eleuatione inceſſanter quęrit *Deum interiorem* in tribus perſonis vnum ſubſiſtentem.

LXXIX, S. AVGVSTINVS, & cæteri Patres, non multum curarunt de duplici iſtâ beatitudine formali, & de diſtinguendo Deo à ſeipſo; ſed ad hoc præcipuè intenderunt, vt Deum diſtinguerent à creaturis, & in Deo ſolo non in aliquâ quantumvis excellentiſſimâ creaturâ, obiectiuam creaturæ rationalis reponerent beatitudinem. Et hoc appoſitè ad infirmitatem hominis, quæ tota verſatur circa obiectum ſuæ beatitudinis. Nam amor creaturarum auocat hominem à Deo ſuo ſummo bono provt condiſtinguitur à creaturis: & hæc eſt eius infirmitas, quòd in creaturis, & non in Deo quieſcat, fruendis vtendo, & vtendis fruendo. Sanitas autem eius eſt amor Dei ſuper omnia, fruendis frui, & vtendis vti. Iſtum amorem Dei vt condiſtinctum ab amore creaturarum docuerunt SS. Patres, & ad hoc præcipuè inuigilauit S. AVGVSTINVS contra Pelagianos, vt eum GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS donum eſſe oſtenderet. Quo motiuo amor Dei inſpiraretur, an quia fecit nos, an quia redemit nos, an quia fons & principium omnis boni creati, an quia ſine relatione ad creaturas eſt in ſeipſo infinitè bonus; ſiuè vt Theologi loquuntur, an motiuo naturali, an motiuo ſupernaturali, parum refert ad hoc quòd creatura deſeratur, & omne temporale contemnatur.

Quemadmodum Deus contradiſtinguitur creaturis, ita & iuſtitia ſeu omnis virtus diſtinguitur à bonis concupiſcentiæ delectabilibus; ita & ſalus ſeu vita ęterna à bonis Mundi temporalibus. Si quis ſentiat in ſe virtutis amorem, ſalutis deſiderium, & benè viuendi voluntatem; vtque iſta conſequatur, proponit deſerere quodcumque delectabile & temporale, in quo Deus offenditur mortaliter, vel quidquid virtuti & æternæ ſuæ ſaluti contrariatur; qui huiuſmodi eſt, non ſit ſollicitus inquirere cauſas & motiua amoris ſui & deſiderij; ſed donum Dei eſſe agnoſcat, eumque humiliter deprecetur, vt qui dedit velle, donet & perficere, ac in finem ſeque in vtroque, *bona* ſcilicet *voluntate*, & *actione* perſeuerare.

LXXX. Decepti ſunt ſecundo Aduerſarij in iſtâ S. AVGVSTINI propoſitione *Innocenti debetur regnum cœlorum, a quo nonniſi propter peccatum ſine iniuſtitia excludi poteſt.* Agnoſcimus eſſe fidei dogma. Fide enim accepimus hominem conditum eſſe à Deo propter regnum cœlorum. In iſtâ fidei petrâ, tutiſſimèque & inconcuſſo doctrinæ AVGVSTINIANÆ dogmate deberent Aduerſarij cum S. AVGVSTINO ſiſtere, non tranſeundo ad cauſam debiti, ſed neceſſarias ex illo firmiſſimo principio deducendo concluſiones. Tranſeunt autem ad cauſam debiti, dum volunt iſtud debitum oriri ex conditione naturæ rationalis, ſeu ex ratione imaginis Dei, non ex eleuationis

priui-

priuilegio. Quod nullo ſcripturę teſtimonio, nulla Concilij alicujus authoritate, nullâ Eccleſiæ traditione probare poſſunt; imò contrarium ex ſcripturis & Patribus manifeſtiùs elucet. Cernant ſuam in iſto familiari exemplo hallucinationem. *Ciui debetur patria, ſitque ei iniuria ſi ſine culpâ mittatur in exilium.* Ad iſtam veritatem nihil refert vtrum quis ſit *ciuis a naturâ*, vtrum ſit *ciuis ex principis priuilegio.* Homo factus eſt ad imaginem Dei & ſimul factus eſt ciuis Sanctorum & domeſticus Dei; conjuncta eſt in vno homine ratio *imaginis Dei*, & ratio *ciuilitatis Sanctorum*; ex quo verificatur quod imagini Dei debetur regnum cœlorum. Ad iſtam veritatem nihil refert prædictam conjunctionem eſſe *de iure naturæ*, aut ſolùm eſſe *de iure priuilegij*. Conſule THOMISTARVM TRIVMPHVM. [a]

[a] THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. cap. 11.

Tertium abſurdum manifeſtabimus §. ſeq. ne præſens longior euadat.

§. VII. *Tertium abſurdum ex occidente* Baij *littera demonſtratur in puncto ſuæ hallucinationis.*

LXXXI. TErtium abſurdum, ad quod occidens *Baij* littera deducit Doctrinam AVGVSTINIANAM, reſpicit opera infidelium, quæ omnia aſſerit eſſe peccata. Credimus falſitatem iſtius doctrinæ euidenter eſſe in TRIVMPHO THOMISTARVM [a] demonſtratam; idque ex ipſo Apoſtolico teſtimonio, in quo fundantur Aduerſarij, nempe, [b] *Quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Ex ipſo etiam S. AVGVSTINO; Imò Aduerſarios ſibi contradicere cogimus, nullumque habere in doctrina AVGVSTINIANA huius opinionis fundamentum apertè conuincimus. Neceſſitatem denique lucis ANGELICÆ concludimus. Ne igitur actum agamus, punctum hallucinationis ſupradictę tangemus; ipſamque abſurditatem in paruulis ſine baptiſmo morientibus diſcooperiemus.

[a] THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. cap. 7. & ſequentibus.
[b] Rom. 14.

Punctum hallucinationis Aduerſariorum conſiſtit in eo, quòd bonum rationis confundant cum bono naturæ, & bonum fidei cum bono rationis. Conſiderant bonum rationis non vt bonum legis naturalis à Deo participatę iuxta illud Pſalmi [c] *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; ſed vt bonum naturæ rationalis, ita vt amor boni rationalis ſit amor ſui diſtinctus ab amore creatoris, quem proinde volunt eſſe vitioſum: de quo in FVNICVLO TERTIO agemus. Nunc tollemus æquiuocationem, oſtendendo, quid ſit amor legis naturalis, nempe participatio quædam legis æternæ, Vnde qui amat legem naturalem amat legem æternam, non in ſeipsâ ſed in ſuâ imagine: ſicut qui amat præceptum præſidis habentis à Rege authoritatem, amat eò ipſo præceptum Regis. Ad id facit dictum CHRISTI, *Qui vos audit, me audit*; ita qui audit & amat legem naturalem, Deum audit & amat.

[c] Pſalm.

LXXXII. Legem ergo naturalem, quoad præſens pertinet, nihil eſſe dicimus aliud, quam dictamina quædam rationis menti à Deo inſita diuerſis occurrentibus occaſionibus; v. g. *Quod non vis tibi fieri alteri ne feceris.* Cui hoc placet dictamen, amat legem naturalem: & qui ex amore illius dictaminis à Deo inſpirato, operatur, ille ex amore legis naturalis à Deo inſpirato operatur.

ratur. Similiter dictamina rationis ſunt, *Iuſtum eſt cuique ſua diſtribuere*; *Iuſtum eſt paſcere eſurientem, veſtire nudum*; *Iuſtum eſt ſubuenire neceſſitatibus corporis*. Qui habent in iſtis complacentiam habent amorem legis naturalis; & veritates iſtas practicas amando amant legem æternam, & veritatem incommutabilem, vt docet S. AVGVSTINVS in TRIVMPHO THOMISTARVM [d] relatus; & in luce ANGELICA expoſitus, ad pretioſum à vilibus Platonicorum commentis ſeparandum.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. cap. 3.

Natura quærit cibum. Ratio quærit cibum neceſſarium. Concupiſcentia quærit cibum delectabilem tantùm. Fides quærit cibum, quia Deus præcipit; Charitas quærit cibum, quia Deo dilecto placet. Amare cibum eſt amor naturæ & indifferens; Amare cibum propter neceſſitatem eſt amor legis naturalis, & abuſoſus; Amare cibum propter ſolam delectationem eſt concupiſcentia carnis, & amor vitioſus; Amare cibum propter Dei præceptum, eſt gratuitus amor ex *gratia eliciente*, & ex motiuo *charitatis vt eſt virtus*. Amare cibum propter Dei dilecti beneplacitum, eſt gratuitus etiam amor *ex gratia eliciente*, ſed ex motiuo *charitatis vt eſt amicitia*. Infidelis non tenetur quærere cibum, quia Dei præceptum eſt, aut beneplacitum; cùm nec fidelis ad id teneatur, non vrgente præcepto fidei, & charitatis: ſufficit ad rectam operationem, quòd quæratur cibus propter neceſſitatem. Quarè artifices infideles, pauperes, cæteriqua omnes, qui amore ſubleuandæ neceſſitatis quærunt victum & amictum operibus licitis, ſicut *ædificando domos, plantando vineas, colendo agros, &c.* ipſi recto fine quærunt victum & amictum, & ex amore legis naturalis virtuosè operantur. Nam amor ſubleuandæ neceſſitatis eſt primus qui eis occurrit actus, quique eis à Deo PRÆDETERMINANTE SPECIALITER inſpiratur. Nec in ijs quæ ad victum & amictum quæruntur ex amore ſubleuandæ neceſſitatis, agit homo vt infirmus, dum concupiſcentiâ ad aliquid illicitum alliciente non preuenitur.

LXXXIII. Altiùs aliquid depromamus. *Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia*, dictamen eſt legis rationis. Infideli nihil prorſus de Deo cogitanti hoc placet, Deo ad talem complacentiam & amorem prædeterminante, & roborante, vt ex tali amore fortitudinis moderetur in aliquo particulari operabili iram, fiatque manſuetus. Peccabitne iſte? Si dicatur, indubiè non peccat, quia hoc facit ex ſpeciali Dei inſpiratione, tangitur punctum hallucinationis Aduerſariorum, qui volunt vitiari actum ex ſolâ abſentia fidei, & dilectionis per quam fides operatur. Hic inſpiratur dilectio per quam ratio operatur, non illa per quam fides operatur: eſt ergò verum *non omne quod eſt ex fide*, de qua intendit Apoſtolus, *eſſe peccatum*; ac proinde doctrinam AVGVSTINIANAM non in littera *Baij* occidente, ſed in ſpiritu D. THOMÆ viuificante eſſe interpretandam.

Si verò dixeris, ipſum peccare, quia ſibi complacet in iſto opere: ignorans enim à Deo ſibi donari prædictum amorem, ſibi illum tribuit, ac de illo in ſeipſo, non in Domino gloriatur. Diſtinguenda eſt duplex complacentia, vna concomitans, quæ non eſt cauſa operis boni, ſed actum virtuoſum concomitatur ex reflexione ſupra actum, qui fit, aut factus eſt. Alia complacentia eſt præcedens, quæ ex opere bono intenditur. Prima complacentia non vitiat

Digitized by Google

actum; ſed ſecunda. Ipſi enim fideles, qui ſtudio perfectionis incumbunt, habent ſæpe tales complacentias de ſuis bonis operibus; & tamen conſulitur eis, vt nunquam dimittant facere aliquod opus bonum, propter tales complacentias. Sic dicitur in Opuſculo de puritate conſcientiæ, quod D. THOMÆ tributur. *e Quantumcumque habeas in iſtis cogitationibus aliquando complacentiam & conſenſum, doleas, & pure confitearis, nec propter hoc ceſſes à bono propter Deum principaliter incepto, ſed pugna viriliter, & conſtanter, orando Deum vt cuſtodiat ſuum opus.* Vnde & celebre prædicatur illud S. Bernardi, cum in benefactis complacentiâ ſui vexaretur. *Non ſuſcepi propter te, non etiam deſinam propter te.*

e. Opuſc. 64. §. de motibus vanę gloriæ.

LXXXIV. Gratiæ diuinæ motio latens etiam eſt in ipſis fidelibus: Sæpe initio conuerſionis noſtræ, & in profectu, practicè credimus à nobis eſſe quæ bona facimus, & quæ feruenter operamur; ſecretò nos alijs præferentes, qui dilatato corde viam mandatorum non videntur, ſicut & nos currere. Nec propterea opera noſtra, vt peccata vituperantur; ergo nec opera infidelium ex hoc ſolùm poſſunt inter peccata numerari quòd de illis ſibi complaceant. Ab iſtâ complacentiâ & vanâ de ſeipſo gloriâ ſanat nos Deus denegando gratiam ad bona opera prædeterminantem. Tunc apparet quid ſumus ex nobis, & quid valeat liberum arbitrium ſibi derelictum, nec prædeterminante adiutum auxilio. Præclarè S. AVGVSTINVS, *Ideo quiſque noſtrum*, ait, *f bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, vt nouerint non ſuæ facultatis ſed diuini amoris eſſe, vel quod ſcit, vel quod delectatur, at ſic ab elationis vanitate ſanetur. Et ſciat quam verè non de terrâ iſtâ, ſed ſpiritualiter dictum eſt; Dominus dabit ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Et multò inferius: *g Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis ſuis alicuius operis iuſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel VICTRICEM DELECTATIONEM, vt cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & ſuauitatem, quâ det fructum terra eorum.* Et iterum: *Idcircò etiam Sanctos & Fideles ſuos in aliquibus vitijs tardiùs ſanat: vt in his eos minùs, quàm implendæ omni ex parte iuſtitiæ ſufficit, delectet bonum, ſiuè cum latet, ſiuè etiam cum manifeſtum eſt, vt quantùm pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iuſtificetur in conſpectu eius omnis caro.*

f. lib. 2. de peccat. m. cap. 17.

g. ibid. cap. 19.

§. VIII. *Idem abſurdum exhibetur in paruulis ſine baptiſmo morientibus.*

LXXXV. Tertia abſurditas ex primâ conſequens, fit in paruulis ſine baptiſmo morientibus manifeſtiſſima. Ipſi enim infideles ſunt, cùm nec proprium, quo fides infunditur, habuerint liberi arbitrij actum, nec fidei Sacramentum. Omnia ergò paruulorum ſine baptiſmo decedentium opera ſunt peccata. Non credo Aduerſarios vſu rationis eos carere aſſerturos. Anima paruuli à corpore ſeparata, æqualis quoad rationis vſum eſt animæ cuiuſlibet adulti, ſicuti & æqualis eſt in eâ arbitrij connaturalis libertas. Si nulla ſit iuſti-

Digitized by Google

iuſtitię aut Dei dilectio præter eam, per quam fides operatur; neceſſe eſt Aduerſarios concedere, quòd nulla ſit in animabus iſtis paruulorum iuſtitiæ, aut Dei dilectio, omniſque earum actio deliberata peccatum ſit.

Abſurdiſſimum hoc eſſe, nullus eſt qui tantillum diſcurrens non videat. Cùm enim iuſtitia diuina nullum peccatum patiatur impunitum, manifeſtè ſequitur paruulos iſtos non ſolùm propter peccatum originale, ſed & propter propria, quæ poſt mortem committunt peccata in æternum puniri, eâ pœnâ quę mortali debetur peccato: ſiquidem ſuum vltimum finem in creatura conſtituunt. Ex quâ peruerſâ eorum & obſtinatâ voluntate neceſſe eſt, vt odio habeant Deum ſicuti cęteri damnati Nam in illis verificatur, quod de damnatis docet Sol Angelicus. [b] *Affectus mouetur ex bono vel malo apprehenſo,* b. Suppl. *Deus autem apprehenditur dupliciter, ſcilicet in ſe, ſicut à Beatis, qui eum per* q.98.a.5. *eſſentiam vident: & per effectus, ſicut a nobis & damnatis. Ipſe igitur in ſeipſo cùm ſit per eſſentiam bonus, non poteſt alicui voluntati diſciplicere: vnde quicumque eum per eſſentiam videt eum odio habere non poteſt. Sed effectuum eius aliqui ſunt voluntati repugnantes, inquantùm contrariantur alicui: & ſecundùm hoc aliquis non in ſeipſo, ſed ratione effectuum Deum odire poteſt. Damnati ergò Deum percipientes in effectu iuſtitiæ, qui eſt pœna, eum odio habent, ſicut etiam pœnas, quas ſuſtinent.* Naturale enim eſt, vt velimus malum inferenti malum. Oportet ergo paruulos naturam, & non rectam rationem, ſequentes velle Deo [i] i. 2. 2. q. eos affligenti malum. Et in Summa doctrinam iſtam confirmat dicens: *Sunt* 34. a. 1. *autem quidam effectus Dei, qui repugnant inordinatæ voluntati: ſicut inflictio pœnæ, & etiam cohibitio peccatorum per legem diuinam, quæ repugnant voluntati deprauatæ per peccatum. Et quantum ad conſiderationem talium effectuum ab aliquibus Deus odio haberi poteſt, inquantùm ſcilicet apprehenditur peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor.*

LXXXVI. Ex eadem peruerſâ paruulorum voluntate fit, vt videntes ſe à beatis excedi in beatitudine & gloria, ipſis beatis inuideant, eoſque odio habeant ſicut cæteri damnati, de quibus dicit D. THOMAS: [l] *Sicut in Bea-* l. Suppl. *tis in patria erit perfectiſſima charitas, ita in damnatis perfectiſſimum odium.* q.98.a.4. *Vnde ſicut Sancti gaudebunt de omnibus bonis, ita & impij de omnibus bonis dolebunt: vnde & felicitas Sanctorum ab eis conſiderata maximè eos affligit: vnde & dicitur Iſai. 26. Videant & confundantur zelantes populi & ignis hoſtes tuos deuoret: vnde vellent omnes bonos eſſe damnatos.*

Cùm deteſtatio diuinæ iuſtitię ſit in damnatis interior cordis blaſphemia, vt docet Sol Angelicus, [m] oportet vt ex eadem peruerſâ paruulorum volun- m. 2. 2. q. tate, Deum etiam blaſphement, ſicut & cæteri damnati, & eò magis dete- 13. a. 4. ſtentur diuinam iuſtitiam, quòd tam multos peccatores, qui dum viuerent per proprios actus ab eo quandoque receſſerunt, ad tantam admittat gloriam, à quâ ſine proprio eorum actu ipſos excludit.

LXXXVII. Indicet, CORDATVS LECTOR, quomodò cum adeò peruerſâ paruulorum voluntàte conſiſtat ſententia S. AVGVSTINI de mitiſſimâ & omnium leuiſſimâ paruulorum damnatione. Sic enim contra Iulianum ſcribit: [n] *Ego autem non dico paruulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tantâ* n. lib.5. *pœnâ eſſe plectendos, vt eis non naſci potiùs expediret; cùm hoc Dominus non* cap. 11.

 de

de quibuſlibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impijſſimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & vtique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabiliùs in die iudicij punietur, quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui ſolùm habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quod eis vt nulli eſſent, quàm vt ibi eſſent potius expediret. Eamdem paruulorum damnationem libro de peccatorum meritis cap. 16. dicit eſſe omnium mitiſſimam; verba eius ſunt: *Poteſt proinde rectè dici paruulos ſine baptiſmo morientes in damnatione omnium mitiſſimâ futuros: Multùm autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo, iudicium ex vno delicto in condemnationem.*

Ratio autem damnationis omnium mitiſſimę traditur ibidem à S. AVGVSTINO, videlicet quòd nullis proprijs aggrauantur peccatis. Ex hoc enim deducit, *Poteſt proinde rectè dici paruulos, &c.* Et in Enchiridio ad Laurentium cap. 93. ait: *Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, tantò quiſque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hic minorem habuit iniquitatem.*

LXXXVIII. An non malum culpæ grauius eſt omni malo pœnæ? ſi grauius (quod nemo inficiari poteſt) grauiſſima erit pœna ipſa permiſſio peccati, & deſtabilior quàm cuiuſcumque alterius mali inflictio. Quâ igitur ratione poteſt paruulorum damnatio dici omnium leuiſſima, & omnium mitiſſima, ſi ponantur in tali ſtatu, in quo *ab illo, qui ſummè eſt, auerſi, ad ſeipſos conuertantur, qui non ſumme ſunt; & hoc vitium*, inquit S. AVGVSTINVS, o *quid aliud quàm ſuperbia nuncupatur? initium quippe omnis peccati, ſuperbia.* Si ſuperbi; ergò & inuidi. *Amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus inuidet quòd ei coæquantur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus quòd eis non coæquetur: ſuperbiendo igitur inuidus, non inuidendo quiſque ſuberbus eſt.* Ita S. AVGVSTINVS. p Quam ſuperbiam in omnibus ſuis actibus exerunt, & à quâ nunquam liberari poſſunt.

o. De Ciuitate Dei lib. 12. c. 6.

p. lib. 11. de Geneſ. ad litter. cap. 14.

Si hæc ſenſiſſet S. AVGVSTINVS, non timuiſſet dicere *quòd eis non naſci potiùs expediret.* Nam licet ipſe dicat in libro de libero arbitrio, q *conſidera quantum bonum eſt eſſe, quod beati & miſeri volunt*, id tamen explicat S. THOMAS dicens, *quòd verbum* AVGVSTINI *eſt intelligendum, quod non eſſe per ſe non eſt eligibile, ſed per accidens inquantum ſcilicet eſt miſeriæ terminatiuum; quod enim dicitur quòd eſſe & viuere ab omnibus appetitur naturaliter, non oportet hoc accipere quantùm ad malam vitam, & corruptam, & eam quæ eſt in triſtitijs: vt dicit Philoſophus in 9. Ethic.* Hæc Sol Angelicus vbique Magiſtri ſui mentem ſapientiſſimè exponens. r

q. lib. 1. & 3. cap. 7.

r. Suppl. q. 98. a. 3 ad 1.

LXXXIX. Quis timebit dicere, quòd melius erat paruulis ſi nati non fuiſſent, dum ponuntur in tali damnatione, in qua proprijs ſuperbię, inuidiæ, odij Dei, & blaſphemiæ aggrauantur peccatis, in æternum in illis permanſuri?

Quarè meritò à Pio 5. & Gregorio 13. damnatus eſt iſte Baij articulus *Peccatum originis eſt habitualì paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter domi-*

Digitized by Google

dominatur in paruulo eò quòd gerit contrarium voluntatis arbitrium : & ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando vſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

Qui tamen articulus conſequens eſt ad iſtam ſententiam, quæ affirmat, *omnia infidelium opera eſſe peccata.*

§. IX. *Leuiſſima omnium & mitiſſima damnatio non poteſt in paruulis componi cum aliquâ ſenſus pœnâ & animi triſtitiâ.*

XC. LEniſſimam omnium & mitiſſimam damnationem excludere peruerſam paruulorum voluntatem euicimus, & inde abſurdam eſſe probauimus ſententiam affirmantem, *peccata eſſe omnia infidelium opera,* Sunt qui rectam paruulorum rationem, bonamque in omnibus voluntatem non diffitentur: eóſque legi Dei & voluntati, quam nouerint, in omnibus conformari concedunt : ſed eos aliquâ ſenſus pœnâ & animi triſtitiâ torqueri ſuſtinent, & apertiſſimam credunt eſſe S. AVGVSTINI ſententiam, ab eoque receſſiſſe D.THOMAM. Ideoque *tortores puerorum* dicti ſunt, non quia torquent, ſed quia Deum *puerorum tortorem* vltra condignum prædicant.

Ego autem non dubito, mentem S. AVGVSTINI tenuiſſe S.THOMAM, dum conſtanter docuit, paruulos ſine baptiſmo morientes non aliquâ ſenſus pœnâ, nec vllâ animi triſtitiâ, ſed ſolâ diuinæ beatitudinis carentiâ in æternum puniri; ac proinde indubiè teneo, litteram S. AVGVSTINI in ſenſu BAIJ occidentem Angelico fuiſſe intelligentiæ ſpiritu viuificatam; Sicque iudicabit CORDATVS omnis, qui damnatis non præoccupatus erroribus, rectam in omnibus confitetur paruulorum voluntatem.

XCI. Certa & indubitata incertis & dubijs anteponenda eſſe, nullus negabit. Certum & indubitatum habet S. AVGVSTINVS, omnium eſſe mitiſſimam, omniumque eſſe leuiſſimam paruulorum damnationem. Certa quoque & indubitata eſt S. AVGVSTINI intentio exterminandi Pelagianorum hæreſim negantium, paruulos originale contrahere peccatum. Incertam autem & dubiam ſibi eſſe docet qualitatem & quantitatem memoratæ paruulorum damnationis, difertis ſiquidem verbis ſupra relatis ait : ſ *Quæ qualis, & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quòd eis vt nulli eſſent, quàm vt ibi eſſent potius expediret,* Ad quantitatem pertinet intenſio, ad qualitatem verò ſpectat, an damnatio in aliquâ ſenſus pœnâ & animi triſtitiâ, an in ſolâ conſiſtat diuinæ beatitudinis carentiâ? Certum quod S. AVGVSTINVS tenuit, deſtrui non debet per id quod incertum habuit; præſertim dum ex iſto incerto aliquod irrationabile conſequitur; nec ad certam S. AVGVSTINI intentionem vllatenus conducit. ſ. num. 87.

Quarè hæc tria præſtare intendo; *Primum*, pœnam ſenſus & animi triſtitiam, quam pro incerto habuit S. AVGVSTINVS, deſtruere omnium mitiſſimam

Digitized by Google

tiſſimam omniumq́ue leuiſſimam damnationem paruulorum, quam pro certo tenuit Doctor Eccleſię fulgentiſſimus. *Secundum*, ex littera AVGVSTINIANA ſecundùm pœnam ſenſus & animi triſtitiam intellecta, conſequi aliquod irrationabile. *Tertium*, ſenſus pœnam, animique triſtitiam ad certam S. AVGVSTINI intentionem nihil conducere. Quę tria, ſi pręſtitero, euidens erit AVGVSTINVM deinceps in THOMA legendum, ab eo, qui in nullo ſibi duxerit errandum.

XCII. Primum pro fundamento ſententiæ ſuę aſſumpſit Sol ANGELI-
a. 2. diſt. CVS, eo ſic vtens: *a AVGVSTINVS dicit pœnam paruulorum qui originali*
23. q. 1. a. 1. *tantùm tenentur, omnium eſſe mitiſſimam : ſed hoc non eſſet ſi ſenſibili pœna tor-*
ſed contra *querentur, quia pœna ignis inferni eſt grauiſſima: ergo pœnam ſenſibilem non ſu-*
b. ibid. a. 2. *ſtinebunt*. Eodem etiam fundamento excludit animi triſtitiam dicens : *b Alij dicunt quod in eis* (paruulis) *eſt perfecta cognitio eorum, quæ naturali cognitioni ſubjacent, & cognoſcunt Deum, & ſe eius viſione priuatos eſſe, & ex hoc aliquem dolorem ſentiunt : tamen mitigabitur eorum dolor, inquantùm non propriâ voluntate culpam incurrerunt, pro quo damnati ſunt : Hoc etiam probabile non videtur, quòd talis dolor paruus eſſe non poteſt de tanti boni amiſſione, & præcipue ſine ſpe recuperationis, Vnde pœna eorum non eſſet mitiſſima*. Et in
c. de Malo quæſtionibus diſputatis eamdem improbans opinionem inquit : *c ſed nulla ra-*
q. 5. a. 3. *tio videtur eſſe, quare ſubtrahatur eis exterior pœna ſenſus, ſi attribuitur eis interior afflictio, quæ eſt multò magis pœnalis, & magis opponitur mitiſſimæ pœnæ, quam Auguſt. eis attribuit.*

Pœnam infernalis ignis eſſe grauiſſimam conſtat ex S. AVGVSTINO, qui
d. in Pſal. 37. de illo ait, *d grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita*. An non grauiſſimæ ſunt in hac vita paſſiones; an non & acutiſſimi dolores! Quæ igitur omnes illas ſuperat pœna, nullatenus omnium, mitiſſima omniumque leuiſſima dici poteſt. Eamdem ignis infernalis grauitatem ex-
e. 4. diſt. primit S. AVGVSTINVS à D. THOMA relatus his verbis : *e Ille ignis*
21. q. 1. a. 1. *purgatorij acrior erit, quàm quidquid in hoc ſæculo pœnarum, aut ſentire aut vi-*
quæſt. iunc. 3. *dere, aut cogitare quis poteſt*. Rationem reddit Sol Angelicus : *Cùm dolor non ſit læſio, ſed læſionis ſenſus, tanto aliquis magis dolet de aliquo læſiuo, quanto magis eſt ſenſitiuum : vnde læſiones quæ fiunt in locis maximè ſenſibilibus, ſunt maximum dolorem cauſantes. Et quia totus ſenſus corporis eſt ab animâ, ideo ſi in ipſam animam aliquod læſiuum agat, de neceſſitate oportet quod maximè affligatur.*

XCIII. Animi quoque triſtitia non poteſt non eſſe grauiſſima, ſi ſemel detur. Nam triſtitia de amiſſione boni cauſatur ax amore boni. Qui ergò ponunt in paruulis triſtitiam de amiſſione diuinę beatitudinis, debent & ponere illius amorem, quę cum ſit vltimus finis non poteſt non maximè amari & in ſummo pretio haberi à recto corde, quale habent iſti paruuli. Maximum igi-
f. Serm. 54. tur dolorem ex amiſſione boni ſummè amati habebunt, ſi ſemel doleant.
de verbis Fundatur hæc ratio in S. AVGVSTINO dicente : *f Si amatur patria magna*
Apoſtoli. *pœna ; ſi autem non amatur patria peior eſt cordis pœna*. Quod poſtremum intelligitur in habentibus vſum liberi arbitrij, ſine quo amor patriæ non eſt perſonę poſſibilis; nullius autem impoſſibilis carentia poteſt eſſe pœna.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi addideris, *ſine ſpe recuperationis*, grauiſſimam facies pœnam, etſi minima de ſe foret. Nam ex ſolo æternitatis titulo colligit S. AVGVSTINVS carentiam diuinæ viſionis omnia huius vitæ ſuperare tormenta. *Quæ*, inquit Enchirid. cap. 112. *ſi ſola eſſet quanta ibi minima cogitari poteſt, perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vitâ Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei, quam abſcondit timentibus ſe, perfecit autem ſperantibus in ſe, TAM GRANDIS EST POENA, vt ei nulla poſſint tormenta quæ nouimus comparari, SI ILLA SIT ÆTERNA, iſta autem ſint quamlibet multis ſæculis longa.*

XCIV. Ad idem ſic arguit D. THOMAS: g ,, Si pueri non baptizati poſt ,, mortem dolorem interiorem habeant, aut dolebunt de culpâ, aut de pœna. ,, Si de culpâ, cum à culpâ illâ vlteriùs emundari non poſſunt, dolor ille erit ,, in deſperationem inducens; ſed talis dolor in damnatis eſt vermis conſcien-,, tiæ: ergo pueri vermem conſcientię habebunt; & ſi non eſſet eorum pœ-,, na mitiſſima vt in litterâ dicitur. Si autem de pœna dolerent: ergò cum ,, pœna eorum iuſtè à Deo ſit, voluntas eorum diuinæ iuſtitię obuiaret, & ſic ,, actualiter deformis eſſet, quod non conceditur: ergò nullum dolorem ſen-,, tient.

g. 2. diſt. 33. q. 2. a. 2. ſed contra.

,, Præterea. Ratio recta non patitur, vt aliquis perturbetur de eo quod in ,, ipſo non fuit vt vitaretur, propter quod Seneca probat, quod perturbatio ,, in Sapientem non cadit: ſed in pueris eſt ratio recta nullo actuali pecca-,, to obliquata: ergo non turbabuntur de hoc quòd talem pœnam ſuſtinent, ,, quam vitare nullo modo potuerunt.

Cerne, quomodò S. Doctor ſemper vrgeat, mitiſſimam damnationem ex vnâ parte, & rectam rationem bonamque voluntatem paruulorum ex aliâ, vt ab eis excludat omnem animi triſtitiam, ſenſuſque minimam pœnam. Vnde & fortiſſimum adhuc deducitur argumentum, ſub hac formâ propoſitum. Pœna, quę eſt vltra condignum, non poteſt eſſe mitiſſima omnium & leuiſſima, nec rectæ rationi bonęque paruulorum voluntati conuenienter videtur imponi. Sed pœnæ ſenſus etſi minima, & quævis animi triſtitia eſt in paruulis vltra condignum: ergo, &c. Maior de ſe patet. Minor probatur §. ſequenti.

§. X. *Ex litterâ AVGVSTINIANA ſecundùm pœnam ſenſus & animi triſtitiam, intellectâ, ſequitur aliquod irrationabile.*

XCV. SEcundum, quod intendimus oſtendere, eſt ex litterâ AVGVSTINIANA ſecundùm pœnam ſenſus animique triſtitiam intellectâ ſequi aliquod irrationabile. Hoc autem ſic oſtendo. Irrationabile videtur paruulos puniri à Deo vltra condignum; Peccatum originale puniretur vltra condignum, ſi pœnâ ſenſus aut animi triſtitiâ puniretur. Nam pœna condigna debet eſſe proportionata & debita. Pœna ſenſus non proportionatur peccato originali, nec ei debetur.

Ad

Digitized by Google

Ad cuius euidentiam conſideranda eſt natura peccati originalis; quæ conſiſtit in *inordinatione naturæ*; quidquid ſit illud, ſiue priuatiuum, ſiue poſitiuum, nihil ad præſens refert. Sicut enim peccatum perſonæ eſt inordinatio actus, iuxta vulgare dictum *actus ſunt ſuppoſitorum*; ita peccatum naturę non eſt alicuius actus ad perſonam pertinentis, ſed *ipſius naturæ inordinatio*. Ex hoc communiter ab omnibus recepto principio ſtatim ſequitur, peccatum originale nonniſi mediante naturâ reſpicere perſonam; & eo modo, quo natura perſonæ communicatur ab alio, ita & *inordinatio naturæ* ab alio perſonæ communicatur. Quemadmodùm etiam natura ita perſonę communicatur, vt non remaneat communis ſed intrinſecè huic perſonæ appropriatur; Similiter *inordinatio naturæ* ita perſonæ ab alio communicatur, vt huic perſonæ intrinſeca fiat & propria; iuxta illud Tridentini Concilij; [b] *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione non imitatione transfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium, &c.*

b. Seſſ. 5. can. 3.

Culpa ſupra rationem inordinationis addit rationem voluntarij. Actus inordinatus eſt peccatum perſonę. Sed culpa non eſt, ſi inordinatio non fuerit voluntaria. Oportet ergo & *naturæ inordinationem* eſſe voluntariam, ad hoc quod culpabilis ſit. Inordinatio actus eſt voluntaria voluntate perſonæ, *inordinatio naturæ* eſt voluntaria voluntate naturæ. Hæc eſt peccati originalis ſpecialis difficultas, quomodo actus voluntatis, qui ſicut & alij actus eſt ſuppoſiti, poſſit ad naturam pertinere, & cuicumque naturam accipienti appropriari. Ad pactum aliquod plures recurrunt ſine vllo vtriuſque Solis Eccleſię fundamento; dicunt voluntatem Adæ fuiſſe meam voluntatem, ſicut voluntas tutoris erat voluntas mea, dum pupillus exiſterem. Pupillus læſus grauiter, dum eſt emancipatus, & læſionem agnoſcit, iuſtè reſcindit quidquid in ſui damnum contraxit voluntas tutoris. Quis eſt noſtrum, qui iſtam Adæ voluntatem non ex corde retractaret?

XCVI. Mirum eſt, quòd duo luminaria Eccleſię æqualiter magna, AVGVSTINVM dico & THOMAM nunquam huiuſcemodi pacti & voluntarij mentionem fecerint, qui toties naturam originalis peccati explicuerunt! Quarè in luce ANGELICA & AVGVSTINIANA dico, voluntatem totius naturę in vna perſona poſſe reperiri, ſicut & tota aliqua natura in vna reperitur perſona. Tota aliqua natura in vnâ perſonâ reperitur, quando vna perſona cauſat omnia ſuppoſita iſtius naturæ, ſic enim extra ſpeciem exiſtens eſt cauſa totius ſpeciei; & producit v. g. hominem, non inquantùm eſt *hic homo*, ſed inquantùm eſt *homo*. Vnde perſona illa, quæ omnia ſuppoſita naturæ humanæ cauſaret, pręcontinere diceretur totam naturam, & homo eſſe non poſſet alioquin & ſeipſum cauſaret.

Paradoxum alicui videbitur ipſum quod aſſumimus principium; quando quidem videatur ex eo inferri, Adamum non ſic potuiſſe præcontinere naturam humanam: ſed addat iſte ad naturam humanam ly *deſcendentem ab Adam*, & incipiet ei fulgere veritas. Nam accipiamus collectionem omnium hominum deſcendentium ab Adam, ad iſtam ſpecialem collectionem ſe habet Adam ſicut extra eàm exiſtens, & ad inſtar illius perſonæ, quæ omnia naturæ humanæ ſuppoſita cauſaret; vt ſicut iſte ad omnes homines ſimpliciter, ita Adam ad omnes

Digitized by Google

omnes ab ipſo deſcendentes. Iuſtitia originalis non fuit data naturæ humanę ſimpliciter, ſed fuit donum naturæ humanæ *deſcendentis ab Adam.* Ita peccatum originale non eſt inordinatio naturę humanę ſimpliciter, ſed inordinatio naturæ humanę *deſcendentis ab Adam.*

XCVII. Vt hæc ſubtiliùs & medullitùs diſcutias, diſtingue naturam humanam *exiſtentem in Adam,* & naturam humanam *exiſtentem ab Adam.* Natura humana *exiſtens in Adam* reſpicit perſonam Adami, vt ſuppoſitum cui appropriatur; ratione cuius dona naturæ fiunt perſonalia ſicut & ipſa natura. Vnde & *inordinatio naturæ* ſecuta ex peccato actuali Adami non fuit in ipſo peccatum originale, ſed perſonalis ſolummodo fuit, eò ipſo quòd eſſet inordinatio naturæ *exiſtentis in Adam,* non verò naturæ *exiſtentis ab ipſo.* Natura humana exiſtens ab Adam reſpicit perſonam Adami non vt ſuppoſitum cui appropriatur, ſed vt principium à quo originatur & ex quo omnes eam participantes accipiunt quamdam ſanguinis vnitatem ratione cuius ſunt aliquid Adæ. Etenim ſicut collectio membrorum ex participatione vnius animæ accipit ſuppoſiti vnitatem, ratione cuius quodlibet membrum eſt aliquid animæ dantis ei motum: ita collectio deſcendentium ab Adam ex participatione naturę humanę deſcendentis ab vno accipit quamdam *ſanguinis vnitatem,* ratione cuius quilibet deſcendens ex Adam eſt aliquid Adæ, dantis ei naturam *ab ipſo deſcendentem.*

Manus eſt culpabilis occidendo hominem, non verò gladius per quem manus occidit, quantumvis gladius moueatur etiam ab anima. Gladius non punitur, manus punitur. Non ob aliud occiſio hominis imputatur manui, & punitur niſi quia iſta inordinatio motus in manu exiſtens eſt voluntaria, non voluntate, quæ ſit in manu, ſed voluntate quæ eſt in animâ communicante manui motum in vnitate ſuppoſiti; Ita *inordinatio naturæ* imputatur cuilibet ex Adam deſcendenti, non ob aliud, niſi quia *inordinatio naturæ* exiſtens in quolibet deſcendente eſt voluntaria, non voluntate quæ ſit in perſona deſcendente, ſed voluntate quæ eſt in naturâ communicante perſonæ deſcendenti naturam in vnitate ſanguinis propter naturæ de vno vnitatem. Quod facit vnitas ſuppoſiti in ijs quæ ſunt perſonæ, hoc facit vnitas ſanguinis in ijs quæ ſunt naturæ; & quod facit voluntas animæ mouentis membra ad locum, hoc facit voluntas naturę mouentis poſteros Adæ ad naturam. Omnes enim Adæ poſteri debent in pręſenti conſiderari, ac ſi omnes immediatè eſſent ab Adam geniti. Vide D. THOMAM in quæſtionibus diſputatis,[i] cujus eſt hac tota doctrina. i. de Malo q. 4. a. 1. & 2.

XCVIII. Deficiunt *pacti adinuentores,* quòd idem voluntarium requirunt ad *inordinationem naturæ,* ſicut ad inordinationem perſonæ in actibus, qui ſunt ſuppoſitorum, exiſtentem. Inordinatio perſonæ debet eſſe voluntaria voluntate perſonæ; Inordinatio naturę debet eſſe voluntaria voluntate naturæ, quæ eſt in principio communicante totam naturam. Voluntas tutoris trahitur ad voluntatem perſonalem pupilli. Voluntas naturæ non debet trahi ad voluntates perſonales deſcendentium; ſic enim non naturæ ſed perſonę voluntas foret. Ipſæ perſonæ deſcendentes trahuntur ad voluntatem naturæ quaſi membra vnius multitudinis ab ipſa motæ: eo proportionali modo quo ad volun-

Digitized by Google

tatem animæ mouentis trahuntur membra vnius corporis ab ipſa moti. Voluntas naturæ eſt voluntas præcontinentis modo dicto naturam, eamque communicantis. Hinc continuò elucet improportio pœnę ſenſus ad culpam originalem. Cùm enim pœna ſit inuoluntaria debet inuoluntarium pœnæ proportionari voluntario culpæ: vt ſi voluntarium in culpa ſit voluntarium voluntate perſonæ, inuoluntarium in pœna, ſit involuntarium perſonæ, id eſt, contra voluntatem perſonæ. Si vero voluntarium in culpâ ſit voluntarium ſolâ voluntate naturæ, inuoluntarium in pœna ſit ſolummodò inuoluntarium naturæ, id eſt, contra ſolam naturæ voluntatem. In pœna ſenſus & animi triſtitiâ reperitur inuoluntarium perſonæ; paſſiones ſiquidem ſunt ſuppoſitorum ſicut & actiones. In culpa originali ſola inuenitur voluntas naturæ. Quarè ſi culpa originalis puniretur pœnâ ſenſus & animi triſtitiâ puniretur paruulus ſecundùm illud quo non peccauit. Quod certè irrationabile videtur; ſicut & quod aliqua ſit perſonæ paſſio, vbi nulla fuit perſonæ actio.

l. 2. diſt. 33. q. 2. a. 1. XCIX. Rationem iſtam ex præceptore, & vnico informatore noſtro Sole Angelico deſumpſimus, *l* cuius verba erunt amanti veritatem ſuper mel & favum; ideoque ea ad longum referre placuit.

„ Reſpondeo dicendum, quòd pœna debet eſſe proportionata culpæ, vt „ dicitur Iſai. 27. *In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabit* „ *eam.* Defectus autem qui per originem traducitur rationem culpæ habens, „ non eſt per ſubtractionem vel corruptionem alicuius boni, quod naturam „ humanam conſequitur ex principijs ſuis: *ſed* per ſubtractionem vel corru- „ ptionem alicuius quod naturæ ſuperadditum erat. Nec iſta culpa ad hunc „ hominem pertinet: niſi ſecundùm quòd talem naturam habet, quæ hoc „ bono quod in ea natum erat eſſe, & poſſibile conſeruari, deſtituta eſt: & „ ideò nulla alia pœna ſibi debetur, niſi priuatio illius finis ad quem donum „ ſubtractum ordinabat, ad quod per ſe natura humana attingere non poteſt, „ hoc autem eſt diuina viſio: & ideò carentia huius viſionis eſt propria, & „ ſola pœna originalis peccati poſt mortem.

„ Si enim alia pœna ſenſibilis pro peccato originali poſt mortem infligeretur, PVNIRETVR ISTE NON SECVNDVM HOC, QVOD CVL- „ PAM HABVIT, quia pœna ſenſibilis pertinet ad id quod perſonę pro- „ prium eſt, quia per paſſionem huius particularis, talis pœna eſt. Vnde ſicut „ culpa non fuit per operationem eius: ita nec pœna per paſſionem ipſius „ eſſe debet: ſed ſolùm per defectum illius ad quod natura de ſe inſuffi- „ ciens erat.

„ In alijs autem perfectionibus & bonitatibus, quæ naturam humanam con- „ ſequuntur ex ſuis principijs nullum detrimentum ſuſtinebunt pro peccato „ originali damnati.

m. de Malo q. 5. a. 2. C. Ex eodem fundamento procedit altera ratio, quam tradit D. THOMAS his verbis: *m Quia pœna proportionatur culpæ, & ideò peccato actuali mortali, in quo inuenitur auerſio ab incommutabili bono & conuerſio ad bonum commutabile debetur & pœna damni, ſcilicet carentia viſionis diuinæ reſpondens auerſioni, & pœna ſenſus reſpondens conuerſioni. Sed in peccato originali non eſt conuerſio, ſed ſola auerſio, vel aliquid auerſioni reſpondens, ſcilicet deſtitutio animæ à iuſti-*

tia

tia originali. Et ideò peccato originali non debetur pœna ſenſus : ſed ſolùm pœna damni ſcilicet carentia viſionis diuinæ. Eâdem ratione excludit Sol Angelicus animi triſtitiam; *quia dolor pœnæ*, inquit, *n delectationi culpæ reſpondet. Vnde* n. 2. diſt. *delectatione remota à culpâ originali, omnis dolor ab eius pœna excluditur.* 33. q. 2. a. 2.

Quidam putant hanc rationem infirmari ex eo quòd non ſola delectatio ſenſibilis, ſed & delectatio ſpiritualis puniatur pœnâ ſenſus. Verùm non percipiunt vim rationis Angelicę ſumi ex genere delectationis non ex ſpecie. Non enim videtur iuſtum, vt qui nullam vnquam in creaturis nec minimam habuit delectationem contra Deum, ipſe ex creaturis, Deo infligente, æternum patiatur dolorem.

Alij fugiunt ad Adam, & dicunt paruulos in illo peccato in quo omnes peccauimus, & conuerſionem, & delectationem habuiſſe. Nec iſti vident conuerſionem iſtam, & delectationem ad omnes pertinere, non voluntate propriæ perſonæ, ſed voluntate naturæ, id eſt, voluntate præcontinentis totam naturam ab Adam deſcendentem; hæc voluntas ad nos pertinet, ſicut voluntas animæ ad membra. Iuſtum eſt vt in ijs quę ſunt perſonæ non patiatur, qui non peccauit voluntate propriæ perſonę; & qui ſolâ voluntate naturę peccauit, puniatur ſolummodò in ijs, quę ſunt naturæ. Dolere eſt perſonale ſicut & delectari; qui ergo nunquam perſonaliter delectatus eſt, nec eum perſonaliter dolere in æternum iuſtum eſt.

Cl. Si dixeris, ſufficit conuerſio habitualis, quæ eſt in peccato originali ex habilitate ad concupiſcendum, quę ſunt vetita, audi tertiam D. THOMÆ rationem, & acquieſces : *Pœna ſenſus*, ait; *o nunquam debetur habituali diſpoſitioni. Non enim aliquis punitur ex hoc, quòd eſt habilis ad furandum, ſed ex hoc quod actu furatur : ſed habituali priuationi abſque omni actu debetur aliquid damnum; puta qui non habet ſcientiam litterarum ex hoc ipſo indignus eſt promotione ad Epiſcopalem dignitatem. In peccato autem originali inuenitur quidem concupiſcentia per modum habitualis diſpoſitionis, quæ paruulum facit habilem ad concupiſcendum, vt Auguſtinus dicit; adultum autem actu concupiſcentem. Et ideò paruulo defuncto cum originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolùm pœna damni : quia ſcilicet non eſt idoneus perduci ad viſionem diuinam propter priuationem originalis iuſtitiæ.* o. de Malo q. 5. a. 2.

Aliud eſt infligere malum, aliud eſt denegare bonum. Non iuſtè infligitur malum, niſi ei qui fecit malum. Sed iuſtè denegatur bonum ei, qui licet nihil mali fecerit, debitam tamen non habet ad bonum aptitudinem. Qui has rationes iuſto veritatis amore ponderauerit, certò certiùs iudicabit pœnam ſenſus animique triſtitiam non eſſe pœnam peccato originali proportionatam; & paruulos vltra condignum puniri, ſi eâ pœnâ in æternum punirentur; adeoque litteram S. AVGVSTINI Angelicę intelligentiæ ſpiritu viuificandam eſſe; quod præcipuè verum erit, ſi pœna ſenſus nihil conducat ad intentum S. AVGVSTINI, vt mox videbimus.

§. XI. *Pœna ſenſus in paruulis nihil conducit ad intentum S. AVGVSTINI.*

CII. VNa eſt S. AVGVSTINI pugnantis contra Pelagianos intentio probandi paruulos habere peccatum originale ex pœna, quam patiuntur. Ad huius probationis vim & efficaciam nihil refert quali pœna puniantur, dummodò verâ aliquâ pœnâ puniantur. Cùm enim iuſtitia exigat, vt pœnam culpa pręcedat, neceſſarium eſt paruulos habere culpam, ſi verâ pœnâ puniantur; non actualem, vt patet; ergo originalem. Hoc eſt quod ſemper vrget S. AVGVSTINVS, imaginem DEI INNOCENTEM non poſſe iuſtè excludi à regno cœlorum. Mentem ſapientiſſimi ſui Magiſtri, intentionemque attingens fideliſſimus Diſcipulus, ſimulque Orbis Magiſter, & Sapientum Doctor D. THOMAS; ſciensque litteræ expreſſionem ad mentis intentionem eſſe reducendam; ſuauiterque ac benignè exponendam, vbi ex eâ aliquod irrationabile concluditur, & incertum quid contra certam Authoris infertur doctrinam; vnâ expoſitione omnia S. AVGVSTINI Patrumque teſtimonia explanauit, litteramque occidentem ANGELICO intelligentiæ Spiritu viuificauit.

Rem aperiamus. Obiecerat ſibi S. THOMAS verba quæ circumferebantur S. AVGVSTINI dicentis; [a] *Firmiter tene, & nullatenùs dubites paruulos, qui ſine Sacramento Baptiſmatis de hoc ſæculo tranſierunt, æterno ſupplicio puniendos.* Et alibi, [b] *quod paruuli decedentis ſine baptiſmo experientur gehennam.* Item authoritatem S. Gregorij, in qua de paruulis ait, quòd *licet ex proprio nihil egerint: tamen illuc ad tormenta perueniunt.* Gehenna ſupplicium tormentum, pœnam ſenſus manifeſtè indicant.

a De Fide & operibus cap. 3.
b. Hypognoſt. lib. 5. cap. 5.

Reſpondet Sol Angelicus his verbis: [c] *Dicendum quòd nomen tormenti, ſupplicij, gehennæ, & cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis Sanctorum Inueniatur, eſt largè accipiendum pro pœna, vt ponatur ſpecies pro genere. Ideò autem Sancti tali modo loquendi vſi ſunt, vt deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in paruulis nullum peccatum eſſe, nec eis aliquam pœnam deberi.*

c. de Malo q 5. a. 2. ad 1.

CIII. Ignis nomine frequenter in ſacris ſcripturis quamlibet pœnam ſignificari teſtatur ipſe S. AVGVSTINVS dicens: [d] *Ignis nomine pœnam potuiſſe ſignificari, Scriptura teſtis eſt in Deuteronomio, vbi dicitur ad Filios Iſraël; & eduxi vos de fornace ferrea ex Ægypto: vbi vtique duram tribulationem intelligi voluit.* Et in Pſalm. 57. ad illa verba, ſicut cera liquefacta auferentur, dicit, *Non contra te ſtabunt, non perdurabunt; igne quondam concupiſcentiarum ſuarum peribunt. Eſt enim hic quædam pœna occulta, &c.* Videatur etiam in Pſalm. 65. ad iſta verba *Tranſiuimus per ignem & aquam.*

d. Quęſtionum lib. 6. quæſt. 9. tomo 4.

Quarè nihil à ſacris Scripturis alienum, nihil Sapientiſſimo Magiſtro ſuo aduerſum docet S. THOMAS, dum per ignem vult pœnam ſignificari. Ad huiuſmodi autem explicationem duo cogunt recurrere, *Primò* quando ex propria & ſtricta ſignificatione ſequitur abſurdum, ſicut in præſenti oſtendimus.

Digitized by Google

mus. Abſurdum enim eſt falſam eſſe ſententiam de mitiſſima & leuiſſima paruulorum damnatione, quam vt certam ſtatuit S. AVGVSTINVS, non audens è contrariò de qualitate pœnę definire. Abſurdum etiam eſt paruulos à Deo vltra condignum puniri; quæ duo abſurda ſequuntur, ſi per *ignem ſupplicium, &c.* pœna ſenſus in verbis AVGVSTINIANIS intelligatur. *Secundò*, quando nihil ad intentum Authoris conducit propria & ſtricta ſignificatio, & magis lata eſt rationabilior.

Quarè nullatenùs conſentimus illis (quorum calumnias in S. Auguſtinum latas refert ‡ TRIVMPHVS THOMISTARVM) Theologis, qui exceſſiſſe S. AVGVSTINVM, id eſt, intellectu aquè ac verbis falſum tenuiſſe contendunt. Non enim exceſſit Scriptura, dum per ignem pœnas ſignificauit: ita nec S. AVGVSTINVS, dum pœnam veram quam intellectu in paruulis concipiebat, verbo *ignis æterni* expreſſit. Figurata expreſſio eſt, cuius motiuum fuit, *vt deteſtabilem*, ait D. THOMAS, *redderet errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in paruulis nullum eſſe peccatum, nec eis pœnam aliquam deberi.*

‡ THOMISTAR TRIVMPHVS tom. 3. cap. 2. §. vlt.

Nihil autem detrahi intentioni S. AVGVSTINI, ex eo quòd verba illius de ſolâ damni pœnâ interpretentur, non poterimus efficaciùs probare, quàm percurrendo loca, quę maximè vrgent Aduerſarij, eorumque rationes infringendo vt friuolas. De hac materia nouiſſimè ſcripſit R. P. Henricus de NORIS Veronenſis Auguſtinianus S.Theologiæ Profeſſor in VINDICIJS AVGVSTINIANIS primò cum *Hiſtoria Pelagiana* Anno 1673. Patauij impreſſis, nunc ſecundò Bruxellis hoc anno in lucem editis. Illum non amaro contradicendi animo, ſed ANGELICÆ ſincero veritatis zelo, aſſumemus, vt in eo oſtendamus, quàm paruo & irrationabili fundamento ſeparetur in præſenti THOMAS ab AVGVSTINO, diſcipulus à Magiſtro, Sol à Sole.

CIV. Primum quod magnificant teſtimonium, deſumitur ex omnibus illis locis in quibus S. AVGVSTINVS arguit Pelagianos de loco medio quem aſſignabant paruulis, cum tantùm duo loca Scripturę aſſignent, Regnum videlicet cœlorum, & infernum, vel dextram & ſiniſtram, vel eſſe cum Chriſto, & eſſe cum diabolo. Vnum pro omnibus adducemus ex Sermone 14. de verbis Apoſtoli, vbi ſic loquitur fulgentiſſimus Eccleſię Sol: e *Nullus relictus eſt MEDIVS LOCVS, vbi ponere queas infantes. De viuis & mortuis iudicabitur; alij erunt ad dexteram alij ad ſiniſtram. Non noui aliud. QVI INDVCIS MEDIVM RECEDE DE MEDIO. Non te offendat, qui dextram quærit & teipſum admonet. Recede de medio: ſed noli in ſiniſtram. Si ergo dextra erit, & ſiniſtra, & nullum medium locum in Euangelio nouimus, ecce in dextra regnum cœlorum eſt; Percipite, inquit, regnum. Qui ibi non eſt in ſiniſtra eſt, quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum. In dextra vtique ad regnum æternum, in ſiniſtra ignem æternum. Qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra, ergo qui non in regno, procul dubio in ignem æternum.*

e. Serm. 14. de verbis Apoſt. cap. 3.

Veriſſima certè doctrina. Accedat lux Angelica. Duo loci ſunt locus pręmij & locus pœnę; locus medius eſt locus nec præmij nec pœnæ. Hunc medium locum aſſignabant paruulis Pelagiani, qui nullum in eis agnoſcebant originale peccatum. Quid ad locum pœnę, prout opponitur loco præmij

mij refert qualitas pœnæ ? Non ad iſtam qualitatem pœnæ, ſed ad ipſam medietatem reſpexiſſe S. AVGVSTINVM Ipſe de ſe teſtimonium perhibet dicens : f *Nec eſt vllus vlli medius locus, vt poſſit eſſe, niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto. Hinc & ipſe Dominus volens auferre de cordibus malè credentibus ISTAM NESCIO QVAM MEDIETATEM, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt QVASI MERITO INNOCENTIÆ SINT IN VITA ÆTERNA, ſed quia non ſunt baptizati, non ſunt cum Chriſto in regno eius, definitiuam protulit ad hæc ora obſtruenda ſententiam, vbi ait, Qui mecum non eſt, aduerſum me eſt, &c.*

f. lib. 1. de peccat. ven. & rem. cap. 28.

Medietas loci eſt *quaſi merito innocentiæ eſſe in vita æterna*, id eſt, ſine peccato, & proinde ſine pœna viuere in æternum. Talem medietatem opinantes deſpicit veluti de fęce vulgi S. AVGVSTINVS ſuprà g dicens : *Hic quæris medium homo de medio.*

g. De verb. Apoſt. c. 13.

CV. Quarè hoc ipſo quòd paruuli ſint in loco pœnæ, non ſunt in loco medio, de quo contra Pelagianos AVGVSTINVS diſputat, ſed ſunt cum diabolo ad ſiniſtram, & in inferno. Verumtamen *quadruplex eſt infernus*, ait S. THOMAS h *Vnus eſt damnatorum, in quo ſunt tenebræ, & quantùm ad carentiam diuinæ viſionis, & quantùm ad carentiam gratiæ, & eſt ibi pœna ſenſibilis : & hic infernus eſt locus damnatorum. Alius eſt infernus ſupra iſtum, in quo ſunt tenebræ, & propter carentiam diuinæ viſionis, & propter carentiam gratiæ, ſed non eſt ibi pœna ſenſibilis, & dicitur Limbus puerorum. Alius ſupra hunc eſt, in quo ſunt tenebræ quantùm ad carentiam diuinæ viſionis, ſed non quantum ad carentiam gratiæ, ſed eſt ibi pœna ſenſus, & dicitur Purgatorium. Alius magis ſupra eſt, in quo eſt tenebra quantum ad carentiam diuinæ viſionis, ſed non quantum ad carentiam gratiæ, neque eſt ibi pœna ſenſibilis, & hic eſt infernus Sanctorum Patrum, & in hunc tantum. Chriſtus deſcendit quantùm ad locum, ſed non quantum ad tenebrarum experientiam.*

h. 3. diſt. 22. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 2.

In inferno poſitos agnoſcimus infantes, & eos in tenebris gloriæ & gratiæ verſari ; non tamen in tenebris rectę rationis & bonę voluntatis. Idque ſentit S. AVGVSTINVS, ſi non fuerit, vti reuera non eſt, damnati reus erroris.

CVI. Secundum extollunt teſtimonium ex ijs locis compactum, quibus docet S. AVGVSTINVS, paruulos ſub poteſtate Diaboli eſſe, à Diabolo poſſideri. *An forte*, inquit, i *homines non ſunt, qui eruantur de poteſtate tenebrarum, quarum tenet Diabolus principatum? Aut verò ita deſipis, vt affirmes eos ſibi Diabolum non vindicare, quos poſſidet, & ſua poteſtati ſubditos tenet? ſed vt taceam de his, quos poteſtis dicere per ſuam malam voluntatem à Diabolo poſſideri. Quid dicturus es de illo, de quo Pater ipſius, Domino interrogante, reſpondit, quod ex infantia ſua ab immundo ſpiritu vexaretur? Nonne membra eius, & ſenſus, quæ omnia Deo authore inſtituta ſunt, & communia impiorum, piorumque ſunt munera, Diabolus ſibi, vt affligeret, vindicabat? &c.*

i. lib. 5. oper. imperf. contra Iulian. c. 6.

Emitte lucem tuam, Doctor Angelice ; indica nobis quid ſit ſub poteſtate Diaboli eſſe. „ Quidam dixerunt, ait, l ea quæ in Exorciſmo aguntur, „ nihil efficere ſed ſolùm ſignificare. Sed hoc patet eſſe falſum, per hoc „ quod

l. 3. p. q. 71. a. 3.

„ quod Eccleſia in exorciſmis, imperatiuis verbis vtitur ad expellendam dæ-
„ monis poteſtatem, puta cùm dicit, *ergo maledicte Diabole exi ab eo, &c.*
„ Et ideò dicendum eſt, quod aliquem effectum habent, differenter tamen
„ ab ipſo baptiſmo. Nam per baptiſmum datur homini gratia ad plenam re-
„ miſſionem culparum. Per ea verò quæ in exorciſmo aguntur, excluditur
„ duplex impedimentum ſalutaris gratiæ percipiendæ.

„ Quorum vnum eſt impedimentum extrinſecum, provt dæmones hominis
„ ſalutem impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per exuf-
„ flationes, quibus poteſtas dæmonis pellitur (vt patet ex inducta authorita-
„ te Auguſt.) quantùm ſcilicet ad hoc, quòd non præſtet impedimentum
„ Sacramento ſuſcipiendo. Manet tamen poteſtas dæmonis in homine, quan-
„ tùm ad maculam peccati, & reatum pœnæ, quovſque peccatum per bap-
„ tiſmum tollatur.

Inducta AVGVSTINI [m] authoritas ponitur in argumento *ſed contra* his verbis, „ *paruuli exufflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis Diaboli po-*
„ *teſtas inimica, quæ decepit hominem.* Nihil autem agitur fruſtra per Eccle-
„ ſiam. Ergo per huiuſmodi exufflationes hoc agitur, vt dæmonum poteſtas
„ expellatur.

m. Ex lib. 1. de Symbolo cap. 1. tomo 9. lib. 2. de Nuptijs & concup. cap. 17. & 18. tom. 7.

CVII. Docemur his Angelicis verbis, paruulos ſub poteſtate dæmonis remanere, quamdiu manet macula peccati originalis, & reatus pœnę ei proportionatæ. Et tamen per exorciſmos liberari à poteſtate Diaboli quo ad aliquid, quantùm ſcilicet ad hoc quod non præſtet impedimentum Sacramento ſuſcipiendo. Ita in pręſenti dicimus ad intentum S. AVGVSTINI ſufficere, quòd paruuli ſine baptiſmo morientes remaneant ſub poteſtate Diaboli quantùm ad maculam peccati originalis, & pœnæ damni ei proportionatę ſecundùm quòd detinentur in loco, vbi ſunt tenebrę gloriæ & gratiæ. Liberantur tamen per ordinem diuinę iuſtitiæ à pœna ſenſus, omnique animi triſtitiâ. De quo diuinæ iuſtitiæ ordine pręclarè ſcribit Sol Angelicus his verbis: [n] *In ſtatu futuræ vitæ, ignis & alia huiuſmodi actiua* (inter quæ etiam Diabolus etſi liberè agens comprehenditur propter eandem rationem) *non agunt in animas aut in corpora hominum ſecundùm neceſſitatem naturæ:* (alibi dicit, [o] virtute naturæ agentis) *ſed magis ſecundùm ordinem diuinæ iuſtitiæ, quia ille ſtatus eſt recipiendi pro meritis. Vndè cùm diuina iuſtitia non exigat quòd pueris, qui cum ſolo originali peccato decedunt, pœna ſenſus debeatur, nihil ab huiuſmodi actiuis tales patientur.*

n. de Malo q. 5. a. 2. ad 5.

o. 2. diſt. 23. q. 2. a. 1. ad 3.

Nec contrarium potuit aſſerere S. AVGVSTINVS niſi ſibi contradicendo; quia vexari & affligi à Diabolo, non poteſt non eſſe pœna grauiſſima, & maximè ſi vexatio & afflictio Diaboli æterna ſit ſine ſpe liberationis. Id etiam fatetur P. de Noris. Pro certo autem & indubitato habuit S. AVGVSTINVS, omnium mitiſſimam, omniumque leuiſſimam eſſe paruulorum damnationem.

Ad alia Fulgentiſſimi Eccleſię Solis teſtimonia, ex vaſis contumeliæ, & morte ſecunda deſumpta, eadem eſt ANGELICA ſolutio; fatemur enim paruulos propter maculam peccati originalis & carentiam diuinæ viſionis ad vaſa contumelię pertinere; ſicut ad mortem ſecundam, quę nihil eſt, quàm priuatio

Digitized by Google

uatio æterna vitę gloriæ & gratiæ peccato proportionata. Quin & ad familiam Diaboli pertinere in eodem ſenſu dici poteſt, *nihil contra diuina iuſtitiæ ordinem agentis*, vel verbis Auguſtinianis, *ſeruatâ omnium mitiſſimâ, omniumque leuiſſimâ damnationis pœnâ.*

§. XII. *Friuolas eſſe R. P. de NORIS contra D. THOMAM rationes, & pridem à D. THOMA ſolutas. Prima ratio.*

CVIII. NOn firmum habere poteſt fundamentum, quod S. AVGVSTINO tribuitur à D. THOMA alienum. Si in D. THOMA legiſſet R. P. de *Noris* S. AVGVSTINVM, crambem bis coctam non obtruderet, adducens eas rationes, quas pridem ſoluit Sol Angelicus, cuius lumen friuolas eſſe demonſtrabit.

PRIMA RATIO. „ Peccatum originale induxit ſenſibiles miſerias puerorum præſentis vitæ: ergo & eaſdem per totam æternitatem diſtendet. Probatur conſequens, quia pœnæ ſenſibiles huius vitæ non ſunt ſufficientes ad ſatisfaciendum per ſatispaſſionem pro macula peccati originalis, & quantę, quantę ſunt, iuſtè humanum genus eaſdem patitur; ergo durante eadem macula peccati per totam æternitatem, iuſtè in æternum pueri originali labe infecti eaſdem patientur.

p. 2. diſt. 33. q. 2. a. 1. ad 3. Eamdem rationem ſibi obijcit Præceptor Noſter his verbis: *Grauius puniuntur peccata poſt hanc vitam, quàm in vita iſta, vbi eſt miſericordiæ locus: ſed in hâc vita reſpondet originali pœna ſenſibilis. Pueri enim qui ſolum originale habent, multas pœnas ſenſibiles ſuſtinent, nec iniuſtè. Ergo & poſt hanc vitam pœna ſenſibilis ſibi debetur.*

Accipe ſolutionem. „ Dicendum quod non eſt eadem ratio de pœna ſenſibili ante mortem, & poſt mortem, quia ante mortem pœna ſenſibilis conſequitur virtutem naturę agentis, ſiue ſit pœna ſenſibilis interior, vt febris vel aliquid huiuſmodi; ſiue etiam ſenſibilis pœna exterior, vt vſtio ſiue aliquid huiuſmodi: Sed poſt mortem nihil aget virtute naturę: ſed ſecundùm iuſtitię diuinę ordinem tantùm, ſiue in animam ſeparatam. in quam conſtat, quod ignis naturaliter agere non poteſt, ſiue etiam in corpus poſt reſurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis ceſſabit, ceſſante motu primi mobilis, qui eſt cauſa omnis motus & alterationis corporalis.

Ad idem facit quod ad ſolutionem quinti addit dicens: *Quod corpora puerorum non erunt impaſſibilia ex defectu potentiæ ad patiendum in ipſis: ſed ex defectu exteriùs agentis in ipſa, quia poſt reſurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, præcipuè ad corruptionem inducendam per actionem naturæ; ſed erit actio tantùm ad puniendum ex ordine diuinæ iuſtitiæ; Vnde illa corpora pœnam non patientur, quibus pœna ſenſibilis ex diuina iuſtitia non debetur: Corpora autem Sanctorum erunt impaſſibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum, & ideò impaſſibilitas erit in eis dos, non autem in pueris.*

CIX. Vis

Digitized by Google

CIX Vis ſolutionis ANGELICÆ conſiſtit in hoc, quòd poſt mortem, cùm ſit ſtatus recipiendi pro meritis, non attenditur niſi ordo diuinę iuſtitiæ. Iuſtitia autem diuina nonniſi ad culpam ordinat pœnam, & ſoli culpæ commenſurat pœnam. Inuictè probauimus pœnam ſenſus non eſſe proportionatam culpę originali. Non ergo iuſtitia diuina eam ordinat ad puniendum peccatum originale. In hac vitâ non ſola punitio attenditur, ſed multò magis vitatio peccati, & profectus virtutis. Ex quo fit vt actiones naturę, quibus in hac vita defectus patimur, non ordinantur à Deò ſecundùm proportionem propriæ culpæ; ſed quandoque in pœnam parentum; quandoque in remedium contra peccatum ſequens; quandoque propter profectum virtutis, aut eius qui hoc patitur, aut alterius: ſicut Dominus dicit. Ioan. 9. de cæco nato, *Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo*, quod expediens erat ad humanam ſalutem. Ita ſe explicuit Præceptor Noſter in quæſtionibus diſputatis, vbi eidem argumento ſic reſpondet: q q. de Malo q. 5. a. 4. ad 5.

Dicendum, quòd poſt mortem non eſt ſtatus proficiendi ad virtutem, vel deficiendi per peccatum: ſed recipiendi pro meritis. Vnde omnes defectus, qui ſunt poſt mortem, taxantur pro culpa; non autem ordinant, vel ad profectum virtutis, vel ad euitationem peccati; & indè eſt quòd pueris poſt mortem non debetur pœna ſenſus.

In hac ANGELICA luce Friuolam eſſe R. P. de NORIS rationem apertè conſpicitur. Recurrit ad damnatum *Baij* principium, quo aſſeritur mortem, alioſque naturę defectus non poſſe abſolui à ratione pœnę, ita vt nonniſi propter culpam pręcedentem poſſint homini accidere. Mortem de facto eſſe pœnam peccati de fide eſt; ſed nihil ad fidem, doctrinamque S. AVGVSTINI tutiſſimam & inconcuſſam refert, quòd homo ſic condi poſſit, vt ſine pręcedente peccato moreretur.

CX. Diſtinguenda ſunt iſta tria; Primum, *Poteſtas nunquam errandi, nunquam concupiſcendi contra ſpiritum, nunquam moriendi*. Secundum, *Neceſſitas quandoque errandi, quandoque concupiſcendi contra ſpiritum, quandoque moriendi*; Tertium, *actu errare, actu concupiſcere contra ſpiritum, actu mori*. Primum ſine excluſione poteſtatis errandi, concupiſcendi contra ſpiritum, moriendi, eſt ex dono gratię in homine ſano; ſi verò excludat pręlictas poteſtates, eſt ex dono glorię in beatis. Iſtud donum gratię, quo poteſtas *nunquam errandi, &c.* habetur coniuncta poteſtati *errandi, &c.* non eſt neceſſe vt ſit gratia adoptionis filiorum, quâ conſortes efficimur diuinę naturę, vt fusè probauimus in THOMISTARVM TRIVMPHO Opuſculo *de Natura pura*, r ad id ſpecialiter deſtinato. r. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2.

De ſecundo iudicandum eſt, ſicut de potentia peccandi in Angelis, Nam ſicut potentia peccandi ſe habet in Angelis, ita *neceſſitas quandoque errandi, quandoque concupiſcendi contra ſpiritum, quandoque moriendi*, in hominibus ſibi relictis. Non poteſt creari Angelus ſine potentia peccandi; Non poteſt homo ſibi relinqui, id eſt, principijs naturæ ſuæ, ſine prædictis neceſſitatibus. Potentia peccandi non eſt à Deo, ſed conſequitur Angelum *ex nihilo*: Prędictę neceſſitates non ſunt à Deo ſed conſequuntur hominem ex *nihilo actus* & ex *nihilo ſimplicitatis*; id eſt, quia eſt in purâ potentiâ ad omnia intelligibilia,

 &

& compoſitus ex contrarijs tam inclinationibus, quàm qualitatibus. *Neceſſe eſt enim*, ait Magiſter Orbis, *ſ corpus humanum, cum ſit ex contrarijs compoſitum, corruptibile eſſe; & ſenſibilem appetitum in ea quæ ſunt delectabilia moueri, quæ interdum ſunt contraria rationi: & intellectum poſſibilem, cùm ſit in potentia ad omnia intelligibilia, nullum eorum habens actu, ſed ex ſenſibus natum ea acquirere, difficulter ad ſcientiam veritatis pertingere, & de facili propter phantaſmata à vero deuiare.*

ſ. lib. 4. contr. gent. c. 52.

Quarè ſicut creatio Angeli cum potentia peccandi, nihil detrahit diuinę iuſtitię, nec diuinam offendit bonitatem; ita nec productio hominis cum prædictis neceſſitatibus derogare aliquid poterit diuinæ iuſtitiæ, atque bonitati.

De Tertio, videlicet *actu errare, actu concupiſcencere contra ſpiritum, actu mori*, iudicandum eſt ſicut de peccato illiuſque permiſſione. Sicut permiſſio peccati non ad creationem ſed ad gubernationem diuinę prouidentię ſpectat, ita & permiſſio iſtorum. Quemadmodùm etiam Diuina gubernatio excludit peccatum à primo inſtanti creationis in Angelis: ita & excludit actualem errorem, actualemque concupiſcentiæ rebellionem à primo peccato, in homine; ita vt primum hominis peccatum non poſſit ex cæca & indomita concupiſcentia procedere. Hoc etiam pluribus oſtendit TRIVMPHVS THOMISTARVM in loco citato. *t*

t. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. c. 11. & 12.

CXI. Denique eo modo, quo Deus, qui ſcit facere ex malis bona, permittit in quibuſdam peccatum, ita in pœnam præcedentis peccati permittit quoſdam ex cæca & indomitâ concupiſcentiâ peccare; Mortem verò alioſque corporis actuales defectus, vel ex eodem motiuo, quo permittit primum peccatum, poteſt inducere, vel in punitionem præcedentis alicuius peccati. Vnde nonniſi probabiliter ex morte, & ex ſupradictis neceſſitatibus colligi poteſt peccatum originale. Ita D. THOMAS loco citato *a* concludit dicens: *Sic igitur huiuſmodi defectus quamvis naturales homini videantur abſolute conſiderando humanam naturam ex parte eius, quod eſt in eâ inferius; tamen conſiderando diuinam prouidentiam, & dignitatem ſuperioris partis humanæ naturæ, ſatis probabiliter probari poteſt huiuſmodi defectus eſſe pœnales; & ſic colligi poteſt humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum.*

a. lib. 4. contr. gent. c. 52.

Quapropter dum S. AVGVSTINVS peccatum originale deducit ex infinitis humanæ vitæ miſerijs, nonniſi probabiliter procedit. Cuius ratio à priori eſt, quòd malum ſit priuatio boni debiti; vita & alia bona, quę tolluntur à miſerijs humanis, non debentur homini ex contrarijs qualitatibus & inclinationibus compoſito, & exiſtenti in potentia ad omnia intelligibilia, non inquam ei debentur in hoc ſuppoſito ex neceſſitate naturæ ſuæ, ſed ex diuinæ gubernationis beneficio. Nulla enim fit iniuria naturę corruptibili ſi in hoc ſuppoſito relinquatur corrumpi. Infiniti autem ſunt, & nobis incogniti diuinæ gubernationis modi.

Verùm ex doctrinâ & traditione fidei certiſſimum formabat contra Pelagianos argumentum, eoſque vndique anguſtiabat; de qua traditione ſic loquitur D. THOMAS. *Habet autem hoc TRADITIO FIDEI, quòd nullum nocumentum creatura rationalis potuiſſet incurrere, neque quantùm ad animam, neque quantùm ad corpus, neque quantùm ad aliqua exteriora: niſi peccato præcedente*

Digitized by Google

cedente vel in perſona, vel ſaltem in natura. Scripturę quoque clamant *hominem conditum eſſe à Deo propter regnum cœlorum.* In his duobus vicit Pelagianos S. AVGVSTINVS, vt oſtendimus in THOMISTARVM TRIVMPHO. [b] Ad quem remittimus Aduerſarios, vt neceſſitatem ANGELICI luminis ex occidente *Baij* littera magis recognoſcant. Nam quid valet S. AVGVSTINI littera ſine luce ANGELICA, damnati *Baij* oſtendit BVLLA.

b. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. cap. 11.

§. XIII. *Aliæ rationes R. P. de NORIS (quem aliàs veneramur) non minùs Friuolæ.*

CXII. SECVNDA RATIO. „ Deus odio habet pueros originaria labe „ pollutos, illis eſt iratus, atque inimicus; ergo iuſtè poteſt exer- „ cere contra eoſdem actus iuſtitiæ vindicatiuæ, provt hęc eſt inflictiua pœ- „ næ ſenſibilis. Antecedens colligitur ex Ioann. 3. *Qui autem incredulus eſt* „ *filio, non videbit vitam ſed ira Dei manet ſuper eum.* Quam ſententiam „ paruulis non credentibus applicat S. Doctor lib. 1. de peccat. merit. & re- „ miſſ. cap. 20. .... Conſequentiam verò acutè deducit S. AVGVSTINVS „ tract. 44. in Ioannem inquiens : *Apoſtolus natus in gente Prophetarum di-* „ *cit* : Fuimus & nos aliquando naturâ filij iræ, ſicut & cæteri. *Si filij iræ,* „ *filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ. Quomodo naturâ, niſi quia peccante* „ *primo homine vitium pro natura inoleuit.* Sunt optimę illationes. Ita ratio- „ cinatur R. P. de NORIS, quem aliàs veneramur.

Optimas & nos dicimus S. AVGVSTINI illationes, eaſque efficaciſſimas ad reuincendum Pelagianos; ſed friuolas eas reddit R. P. de NORIS, inde arguens, contra Angelici ſpiritus intelligentiam, litteram ſapientiſſimi Magiſtri ſui in ſenſu *Baij* occidentem, viuificantis. Etenim ira Dei, eiuſque iuſtitię vindicta apparet in pœnâ damni, quâ puniuntur pueri, & ex quâ inſuperabiliter & indeclinabiliter ſequitur pueros *naturâ* eſſe *filios iræ*, eò quòd *peccante primo homine vitium in eis pro natura inoleuit.* Nihil amplius S. AVGVSTINVS; qui ſibi contradiceret, ſi pœnam ſenſibilem intelligeret, vt ſupra probatum eſt; [c] crudeliſque foret, Deum vltra condignum pueros punire prædicando.

c. Paragr. 9. & 10.

Separandus quoque eſt S. AVGVSTINVS à peruersâ illâ radice, & damnato *Baij* principio, *nullum*, videlicet, *eſſe iuſtitia, aut Dei amorem, niſi per quem fides operatur & qui ad gratiam adoptionis filiorum ordinatur, aut ab eâ elicitur.* Auerſi ſunt pueri à Deo, eiſque iratus eſt Deus quantùm ad ea quæ ſunt gratiæ, & gloriæ; minimè verò quantùm ad ea, quæ ſunt rectæ rationis & bonæ in lege naturæ voluntatis. Sic pretioſum mentis AVGVSTINIANÆ ſenſum ſeparauit S. THOMAS, à vili BAIANI erroris commento, dicens: [d] *Quod quamvis pueri non baptizati ſint ſeparati à Deo, quantum ad illam coniunctionem, quæ eſt per gloriam : non tamen ab eo penitùs ſunt ſeparati : imò ſibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum; & ita etiam de ipſo gaudere poterunt naturali cognitione & dilectione,*

d. 2. diſt. 33. q. 2. a. 2. ad 5.

CXIII. Agnouit R. P. de NORIS leuitatem ſuæ illationis. Vnde volens

eam ſolidare, contra ANGELICAM ſolutionem ſic arguit : „ Etenim pueri „ ſunt rei eiuſdem omninò peccati, quod commiſit Adam. ita vt crimen, „ quod in Adamo fuit actuale, euaſerit in poſteris originale : vnde dicit A- „ poſtolus Rom. 5. *in quo omnes peccauerunt.* Ergo ſicuti in Adamo pecca- „ tum actuale punitum fuit inflictione pœnę ſenſibilis, in poſteris etiam eo- „ dem ſupplicio caſtigari poterit. Vti peſtis non tantùm nocet illi, in cuius „ corpore primum naſcitur, verùm etiam alteri, qui eâdem per contactum „ inficitur, ita pueros *peccati paterni contagione* mori dixit AVGVSTINVS „ lib. 6. contra Iulianum cap. 4. Huc facit quod docet S. THOMAS 1. 2. „ q. 81. a. 2. ad. 1. *Pœnâ,* inquit, *corporali interdum iudicio diuino, vel hu-* „ *mano puniuntur filij pro parentibus, inquantùm filius eſt aliquid patris ſecun-* „ *dùm corpus.*

Videtur R. P. de NORIS contra S. AVGVSTINVM confundere peccatum originale, *quo omnes in Adam peccauimus*, quod eſt omnibus vnum, cum peccato originali, *quo naſcendo inficimur*, quod eſt vnicuique proprium. Quæ tamen S. AVGVSTINVS apertè diſtinguit dicens, vnum eſſe ita peccatum vt non ſit pœna peccati, aliud eſſe peccatum & pœnam peccati; vnum eſſe cauſam reprobationis, aliud ex reprobatione permiſſum. Vide TRIVMPHVM THOMISTARVM *de Scientia Media ad examen reuocata*, in Appendice *de cauſa prædeſtinationis & reprobationis. e* Videtur quoque non ſatis conſideraſſe naturam originalis peccati, dum ex pœna ſenſibili Adæ inflicta, infert pœnam ſenſibilem in paruulis poſt mortem.

e. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 4. ad §. 6.

Peccatum, *quo omnes in Adam peccauimus*, eſt inordinatio actus voluntarij non voluntate perſonę Adami, ſed voluntate naturæ ab eo propagandæ. Voluntas Adami, ſi conſideretur per reſpectum ad ſuppoſitum in quo erat, eſt voluntas perſonę, & actus ab ea procedens eſt Adamo proprius, cui proinde debetur pœna ſenſibilis. Voluntas Adami, ſi conſideretur per reſpectum ad omnia ſuppoſita naturę ab eo propaganda eſt voluntas naturę, id eſt, præcontinentis totam naturam, & actus ab ea procedens eſt omnium ſuppoſitorum ab eo deſcendentium eo quaſi modo, quo voluntas animę eſt voluntas omnium membrorum, quæ ab actu voluntatis animę mouentur, vt ſupra diximus. *f*

f. num. 97.

CXIV. Etenim ſicut anima volens occidere hominem, inficit omnia membra, quæ mouet ad homicidium; & inordinatio actus omnium membrorum eſt culpabilis provt ab vna animæ voluntate accipitur & cauſatur. Sic concipiendum eſt, quòd Adamus totam naturam ab eo propagandam in omnibus ſuis deſcendentibus voluit inficere; & infectio naturę in quolibet deſcendente eſt culpabilis provt accipitur & cauſatur ab iſta Adami vt prętcontinentis totam naturam voluntate, quę omnium dicitur, inquantum ſinguli propter vnitatem ſanguinis, quam habent ab Adam, ſunt aliquid Adæ, ſicut ſingula membra ſunt aliquid animę propter vnitatem ſuppoſiti, quam ab eâ accipiunt.

Hic inquirimus pœnam peccati originalis, non provt eſt commune omnibus, ſed provt eſt vnicuique proprium; & quia non per actum proprium vnicuique appropriatur, ſed per appropriationem naturæ; ita pœna ei propria non

non eſt per propriam paſſionem, qualis eſt pœna ſenſibilis, ſed per paſſionem naturę ſibi appropriatę, qualis eſt pœna damni.

Concedimus cum ANGELICO Sole, filios puniri quandoque pro parentibus in corpore, non in animâ, inquantùm filius eſt aliquid Patris ſecundum corpus, non ſecundùm animam. Verùm punitio filij non eſt pœna peccati filio proprij, ſed pœna peccati parentum. Agimus modò de pœna correſpondentē peccato originali provt eſt vnicuique proprium, quam dicimus, vt condigna ſit, non poſſe eſſe ſenſibilem.

CXV. TERTIA RATIO. „ Pueri prędeſtinati ex meritis Chriſti habe„bunt in aliâ vitâ bona corporis, quę dotes à Theologis nuncupantur; ergo „ pueri reprobi patientur in aliâ vitâ mala corporis ex demeritis Adæ. Si„mile argumentum ponitur ab AVGVSTINO lib. 6. cont. Iul. cap. 10. Vbi „paritatem negantes vocat *importunos*. Do eiuſdem verba: *Vide ergo*, in„quit, *quàm importunè nolis paruulum de alieno peccato reportare malum, & „velis eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecumque, ſed Dei „regnum. Alienum quippe opus eſt, cum credit per alterum, ſicut alienum „opus fuit, cum peccauit in altero.*

Paritatem S. AVGVSTINI admittimus, ſed paritatem à R. P. de NORIS intentam negamus. Paritas S. AVGVSTINI eſt, quòd paruulus ſicut de alieno opere bonum, ita de alieno peccato poteſt reportare malum; ad quod ſufficit pœna damni tam in anima, quàm in corpore; ſicut enim peccatum originale pueri non tantùm in anima, ſed & in corpore eſt; ita pœna damni & quoad carentiam gratię & gloriæ eſt in anima, & quoad carentiam gloriæ redundantis in corpus per dotes corporis eſt in corpore. Nulla eſt itaque naturę inordinatio, cui proportionata non competat damni pœnæ portio.

Paritas à R. P. de NORIS intenta eſt, quòd paruulus de alieno peccato debeat reportare pœnam ſenſibilem, ſicut de merito Chriſti reportat delectationem ſenſibilem. Iſtam paritatem iam dudum negauit Sol ANGELICVS, qui obijciens: g *Sicut pueri baptizati ſe habent ad meritum Chriſti, ita non baptizati ad meritum Adæ, ſed pueri baptizati ex merito Chriſti conſequuntur præmium vitæ æternæ*, (quæ eſt gaudium de ſummo bono) *ergo & non baptizati dolorem ſuſtinent, ex hoc quod per demeritum Adæ æternâ vitâ priuantur.* En tertia R. P. de NORIS ratio. g. 2. diſt. 33. q. 2. a. 2. ad 4.

Reſpondet Doctor Eccleſię quintus, qui tot miracula fecit quot articulos: *Dicendum, quòd donum Chriſti excedit peccatum Adæ, vt ad Rom. 5. dicitur, Vnde non oportet, quòd pueri non baptizati tantum habeant de malo, quantum baptizati habent de bono.*

Nihil eſt in R. P. de NORIS quod contra ANGELICAM iſtam ſolutionem poſſit reponi. Alia duo habet argumenta. quæ animi triſtitiam probant: ſed ea, non maioris eſſe momenti, quàm ſint tres dilutę rationes, lux oſtendet ANGELICA §. ſeq.

§. XIV. *Aliâ*

§. XIV. *Alia duo R. P. de NORIS argumenta quibus contendit, triſtari paruulos de amiſſione regni cœlorum.*

CXVI. IVniores, non D. THOMAM, euoluens R. P. de NORIS putat, quòd euidens ſit, D. THOMAM à S. AVGVSTINO receſſiſſe, dum omnem animi triſtitiam de carentia diuinę viſionis à paruulis ablegat. *Pudet me*, ait, *ex AVGVSTINO nonnulla recitare; etenim inde palam fiet, tam procul ab AVGVSTINI ſententia abiiſſe illos Doctores, qui ob excluſionem à gloria nullam in pueris triſtitiam gigni pronuntiarunt, quàm propius ad Pelagianorum paradoxa acceſſerunt.* Acrem hanc in D. THOMAM contumeliam hodie in profeſto Sancti Doctoris perlegens, zelo zelatus ſum pro vnico præceptore & informatore meo, quem ſcio à Deo datum in lucem AVGVSTINIANÆ Sapientiæ. Annus eſt, quo in Sacra Indicis Congregatione S. R. E. Cardinalium immunes exiere libri mei de *Libertate & Contritione* [h] ab omni Cenſura, vti ſupra memoraui. [i] Speciali tuâ, ô DOCTOR ANGELICE, protectione factum credo, qui ſcis quia amo te, nec aliud quæro in hac vita centuplum, quam ANGELICÆ tuæ adhærere veritati, id eſt, vt canit Eccleſia, eam *intellectu conſpicere, & imitatione complere.* In memoriam tanti beneficij vindicabo hodie gladio doctrinæ tuæ contumeliam tibi illatam; & falſum dicenti verè reponam; *Tantò magis S. AVGVSTINVM à D. THOMA ſeparaſſe illos Doctores, qui in proprio & humano confidunt ſtudio, quantò propiùs ad damnatos BAII acceſſerunt errores.*

h. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 3. Opuſc. 4.

i. num. 47.

Teſtimonia ex S. AVGVSTINO recitat, quæ amanti gloriam æternam perhibent magnam eſſe pœnam, eâ priuari. Sine dubio qui gloriam æternam amat efficaciter, non poteſt ſine magno dolore ab ea excludi. Tales autem non ſunt paruuli cum ſolo originali peccato morientes. Ipſi enim ſe habent ad gloriam ęternam ſicut quilibet noſtrûm ad vnionem hypoſtaticam, ruſticus ad regnum, minimus beatus ad ſupremum gloriæ gradum. Quis rectæ rationis affligitur, quòd non ſit ſicut Chriſtus hypoſtaticè Deo vnitus? Doletne minimus beatus ſe non habere ſupremi beati gloriam? Numquid potiùs ſua ſorte contentus gaudet ruſticus, quàm regnum amet, & de excluſione doleat? Ratio iſtorum eſt, quòd nullus rectę rationis deſiderat habere quod ſibi non debetur; vbi autem non eſt aliquid habendi deſiderium, nec aliquis de eo non habito dolor eſſe poteſt.

CXVII. Adſit verbi ANGELICI gladius. „Sciendum, *ait D. THOMAS*, „ [l] quòd ex hoc, quod caret aliquis eo quod ſuam proportionem excedit, „non affligitur, SI SIT RECTÆ RATIONIS: ſed tantùm ex hoc, quod „caret eo ad quod aliquo modo proportionatus fuit. Sicut nullus ſapiens „homo affligitur de hoc, quod non poteſt volare ſicut auis, vel quia non „eſt Rex vel Imperator, cùm ſibi non ſit debitum: affligeretur autem ſi „priuaretur eo, ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo

l. 2. diſt. 33. q 2. a. 2.

„ ergò quòd omnis homo vſum liberi arbitrij habens proportionatus eſt ad „ vitam ęternam conſequendam, quia poteſt ſe ad gratiam præparare, per „ quam vitam æternam merebitur: ideò ſi ab hoc deficiant maximus erit „ dolor eis, quia amittunt illud quod ſuum eſſe poſſibile fuit. Pueri autem „ nunquam fuerunt proportionati ad hoc quòd vitam æternam haberent, quia „ nec eis debebatur ex principijs naturæ, cum omnem facultatem naturę ex- „ cedat; nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum conſe- „ querentur: & ideò nihil omnino dolebunt de carentia viſionis diuinę: imo „ magis gaudebunt de hoc, quòd participabunt multum de diuina bonitate, „ & perfectionibus naturalibus.

Dum ait D. THOMAS, *quòd omnis homo vſum liberi arbitrij habens, proportionatus eſt ad vitam æternam conſequendam, quia poteſt ſe ad gratiam præparare*, non indicat *ſufficientiam Molniſticam*, excludendo auxilium PRÆDETERMINANTIS GRATIÆ; ſed ſenſus eſt, quòd omnis habens vſum liberi arbitrij poteſt recipere auxilium prædeterminans, quo ad gratiam ſe pręparet; qui verò non habet vſum liberi arbitrij eſt incapax præparandi ſe, ſicut & incapax eſt recipiendi auxilium GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS. Hæc per parentheſin dicta ſunto.

CXVIII. R. P. de NORIS repudiat doctrinam datam, vt S. AVGVSTINO maximè repugnantem. „ Quid, *ait*, his reponeret AVGVSTINVS, qui „ abſurdum putauit pueros imagines Dei haud amare regnum Dei, ſcribens „ lib. 6. cont. Iul. cap. 4. *Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt re- „ gnum Dei tot INNOCENTES imagines Dei. Si autem amabunt & tan- „ tùm amabunt, quantùm INNOCENTES amare debent regnum eius, à „ quo ad ipſius imaginem creantur, nihil mali de hac ipſa ſeparatione patientur?* „ Quid his, inquam reponeret, cum in ſcholis audiret, pueros non modò „ non amare, ſed ne cognoſcere quidem regnum Dei? Tam procul ab AV- „ GVSTINI ſemitis nobiles Scholaſtici abiere?

Exclamandum potiùs, Tam procul ab indito rationis lumine Angelicæ doctrinæ contemptores abiere? Quę eſt illa conſequentia, quæ ab innocente imagine Dei tranſit ad pueros peccato originali infectos? Innocens imago Dei eſt natura rationalis per gratiam adoptionis Deificata. Non aliam de facto conditam innocentiam agnoſcit S. AVGVSTINVS, quàm illam, quæ ex gratia ſanctificante procedit. Omnis immunitas à peccato in creatura rationali provt de facto condita eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, dependet ab illa gratia, ſecundùm quam diuinę facta eſt conſors naturæ. Cùm gratia adoptionis maximè proportionatam faciat Dei imaginem ad regnum cęlorum, non eſt dubium quin magnoperè doleret innocens imago Dei, ſi à regno excluderetur; & ſummum foret inconueniens imaginem Dei Deificatam non amare regnum cœlorum, ſicut filio regis non amare regnum Patris. Paruuli non ſunt innocentes Dei imagines, nec vnquam ad ſupradictam innocentiam proportionati fuere, cùm in iniquitatibus concepti ſint, & in peccatis eos conceperit mater ſua. Quid obeſt doctrinæ S. AVGVSTINI, & quodnam inconueniens Cordatè reputari poteſt huiuſmodi paruulos non habere cognitionem regni cœlorum ſufficientem ad amorem & dolorem? de

qua

Digitized by Google

qua cognitione tractant Scholaſtici, poſt Scholæ principem, qui ſibi objiciens: m

m. 1. diſt. 33. q. 2. a. 2. ad 2.

Carere illo quod quis vult habere ſine afflictione eſſe non poteſt: ſed pueri vellent viſionem diuinam habere: aliàs voluntas eorum actualiter peruerſa eſſet. Ergo cum eâ careant, videtur quod ex hoc afflictionem ſentiant. Reſpondet radiantiſſimus Eccleſiæ Sol: *Quod quamvis voluntas ſit poſſibilium & impoſſibilium vt in 3. Ethic. dicitur, tamen voluntas ordinata & completa non eſt niſi eorum ad quæ quis aliquo modo ordinatus eſt, & ſi in iſta voluntate deficiant homines, dolent: non autem ſi deficiant ab illa voluntate, quæ impoſſibilium eſt, quæ potiùs velleitas, quàm voluntas debet dici. Non enim aliquis illud vult ſimpliciter: ſed vellet, ſi poſſibile foret.*

CXIX. Aliundè probat R. P. de NORIS triſtitiam paruulorum. „ Etenim, „ (*verba illius ſunt*) non ſolùm ſunt auerſi à Deo vt authore ſupernaturali, „ ſed etiam vt authore naturæ, Adam enim per peccatum relicto incommu„ tabili bono, adhæſit bono creato, quod peccatum cùm ex origine à pue„ ris trahatur, redduntur auerſi à Deo & conuerſi ad creaturam.

„ Hoc ipſum confirmatur, quia vel pueri habent aliquem finem natura„ lem, quo poſſeſſo ſatiantur, vel nullum talem finem poſſunt poſſidere. Si „ primum detur, peto, vel erit hic finis Deus, vel creatura; ſi creatura, erunt „ igitur peccatores, & auerſi à Deo vt authore naturæ. Si verò Deus erit „ vltimus finis, quatenus abſtractiuè cognitus; ergo amabunt Deum, & à „ Deo quoque amabuntur; quomodo ergo ira Dei manet ſuper illos? Nonne „ per peccatum verè ſunt inimici Dei? qua igitur ratione illum amâbunt? „ ſi verò illud alterum aſſeratur, nempe pueros nullum habiturum vltimum „ finem, erunt ergo æternùm miſeri, vt pote ſummi boni poſſeſſione exclu„ ſi. Huc vſque P. de NORIS.

n. num. 100. o. de veritate q. 24. a. 12. ad 2.

Reſpondeo, dicendum quod in peccato originali eſt ſola auerſio ſine conuerſione ad indebitum finem; ſic docet præceptor noſter Doctor Angelicus ſupra n relatus; & alibi dicens: o *Sciendum eſt, quod in peccato originali eſt habitualis auerſio à bono incommutabili, cùm habens peccatum originale non habeat cor Deo coniunctum per charitatem. Et ſic quantùm ad habitualem auerſionem eadem ratio eſt de exiſtente in peccato originali & mortali, licet in peccato mortali ſuper hoc ſit habitualis conuerſio ad indebitum finem.* Quę doctrina fundatur in dicto S. AVGVSTINI, quod ſupra p refert ex Magiſtro ſententiarum q D. THOMAS, *concupiſcentia paruulum habilem facit ad concupiſcendum, adultum actu concupiſcentem.* Quę habilitas non oritur ex conuerſione actuali, ſed ex remotione fræni, ſiuè gratię quę ſubdebat appetitum rationi. Vndè remanent naturalia integra quantùm ad actum primum, ſed dicuntur lædi ex motu actuali ſuperueniente præuenientis concupiſcentiæ, quo naturalia impediuntur in particulari operabili. Sicut ſi lapis haberet ſenſum diceretur lædi ex hoc quòd detinetur ſuperius; quod in lapide fieret nihil perdendo de ſua grauitate. Ita conciliat Doctores TRIVMPHVS THOMISTARVM. r Ad rem noſtram facit, quòd habilitas illa concupiſcendi æquiparatur potentiæ peccandi, per quam non dicitur homo conuerſus ad indebitum finem. Eſt enim inclinatio ad delectabilia, ad quam per accidens eſt, quòd

p. num. 101. q. 2. diſt. 30.

r. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. c. 12. §. 4.

Digitized by Google

quòd actu occurrant ea, quæ ſunt rationi aut legi Dei contraria, non verò ea quæ ſunt vtrique conformia.

CXX Quare ſicut corpora paruulorum dicuntur impaſſibilia non defectu potentię ad patiendum in ipſis, ſed ex defectu exteriùs agentis in ipſa : ita Animæ paruulorum dicentur inconcupiſcibiles (vt ita dicam) & impeccabiles, non defectu habilitatis concupiſcendi,& potentiæ peccandi, ſed defectu obiecti mouentis; eò quòd nihil contrarium rationi mouebit paruulos, Deo ſic prouidente, vt nulla etiam veritas ſupernaturalis occurrat, ad quam veritates naturales ordinandæ ſint; Propterea ſiſtent in cognitione & amore veritatum naturalium, in quibus laudantes Dominum, Deoque gratias agentes, eum ſicut naturæ authorem glorificabunt in lætitia, & exultatione.

Quomodò ergo *ira Dei manet ſuper illos?* inquirit R. P. de NORIS in confirmatione ſui argumenti. Diſcat ex S. AVGVSTINO, quomodò Deus oderat in Eſau peccatum originale, & ſimul diligeret in illo naturam, quam ipſe perfecerat; poſteà capere etiam poterit, quòd ira Dei manet ſuper parvulos quoad ſupernaturalia dona; at amor Dei manet ſuper eos quoad naturalia dona; in quibus ſecundùm D. THOMAM ſuprà [a] relatum nullum detrimentum patientur. a. num.99.

Doletne ipſos, quòd in peccato ſunt? Quis autem hoc neget? ait R. P. de NORIS, qui magnum quid ſe deprehendiſſe arbitratur dicens; *ſanè arbitror illos qui negant triſtari paruulos, ne cogitare quidem de macula peccati, cùm tamen ſint propriè peccatores.* Parcendum illi. Non legit D. THOMAM docentem ſupra, [b] *ſi de culpa* dolent paruuli, *cùm à culpa illa vlteriùs emundari non poſſunt, dolor ille erit in deſperationem inducens; ſed talis dolor in damnatis eſt vermis conſcientiæ : ergo pueri vermem conſcientiæ habebunt, & ſic non eſſet eorum pœna mitiſſima, vt in littera dicitur.* Ratio eſt, quòd dolor cauſatur ex voluntate completa, quæ non eſt impoſſibilium. Non fuit poſſibile parvulos eos non incurrere culpam originalem, nec eſt eis poſſibile ab illa liberari. Parvuli ergo ſcientes vtrumque eſſe impoſſibile, ſicut non habent niſi velleitatem non habendi peccatum originale, ita non habent niſi diſplicentiam conditionatam correſpondentem velleitati, quæ non eſt cauſatiua doloris in habentibus rectam rationem, & voluntate deliberata ſecundùm eam agentibus. b. num. 94.

CXXI. Fatemur non ſatiari in paruulis naturale deſiderium, de quo D. THOMAS dicit, [c] *Remanet naturaliter homini deſiderium, cùm cognoſcit effectum, & ſcit eum habere cauſam, vt ſciat etiam de cauſa quid eſt;* Cognoſcunt enim ſe aliquo magno bono priuatos, & imperfectam eſſe quam habent de Deo cognitionem; ideò non quietatur in illis naturale ſciendi deſiderium; verùm cùm ex alia parte ſciant ad tantum bonum nunquam fuiſſe proportionatos, nec poſſibilem eis eſſe altiorem de Deo cognitionem, recta ratio ita moderatur naturale ſciendi deſiderium, vt voluntate deliberata ſint ſuâ ſorte omninò contenti. c. 1.2. q. 3. a.8.& alibi ſæpe.

Aliam inſtantiam potuiſſet ex eodem Angelico Sole formare R. P.de NORIS *Nec poteſt dici*, ait MENS AVGVSTINI, [d] *quòd fuerunt proportionati ad vitam æternam conſequendam, quamvis non per actionem ſuam, tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab alijs baptizari: ſicut & multi pueri* d. 2. diſt. 33.q.2.a.2.

Digitized by Google

eiuſdem conditionis baptizati, vitam aternam conſecuti ſunt. En inſtantia, quam ſic diſſoluit. *Hoc enim eſt ſuperexcedentis gratia,vt aliquis ſine actu proprio pramietur : vnde defectus talis gratia non magis triſtitiam cauſat in pueris decedentibus non baptizatis, quàm in ſapientibus, hoc quod in eis multa gratia non fiunt, qua in alijs ſimilibus facta ſunt.*

CXXII. Colligi poteſt ex dictis, quid de beatitudine naturali paruulorum ſentiendum ſit,Certum eſt, quòd paruuli ex effectibus naturalibus cognoſcant Deum, eumque ſuper omnia ament, nihilque inordinatum vnquam ſint volituri, eo ipsò quòd rectam habeant rationem, bonamque ſemper in omnibus voluntatem, Deo ita eos ſuauiter gubernante ſecundùm ſtatus ſui & propriȩ conditionis exigentiam. Dicimus hoc eſſe certum, quia contrarium non poteſt ſuſtineri, niſi ex peruerſa radice, & erroneo damnati *Baij* principio, *non dari iuſtitia aut Dei amorem niſi eum per quem fides operatur, & qui ad gratiam adoptionis filiorum Dei ordinatur, aut ab ea elicitur.* Verè neſcio quomodò in virum doctum cadere potuit, creaturam rationalem non poſſe condi ſine tali amore, & ordine ad regnum cœlorum conſiſtens in viſione & fruitione beatiſſimæ Trinitatis. Quod longiùs à vero aberrat, quàm non poſſe creari ferrum ſine ordine ad ignem, à quo ignitum fiat. Vt fuſè oſtendit TRIVMPHVS THOMISTARVM, *e* & breuiter in hoc FVNICVLO deduximus.

e. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. de Natura pura.

f. num. præced.

An hoc ſufficiat, vt dicantur ſimpliciter beati, parui momenti quæſtio eſt. Videtur non ſufficere, ſed ſolùm *ſecundùm quid* eſſe beatos, *ſimpliciter* autem miſeros. Primò, quia, vt diximus, *f* non ſatiatur omne eorum naturale deſiderium, quantumvis omnis deliberata in illis voluntas quieſcat *ſua ſorte contenta.* De ratione perfectȩ beatitudinis eſt quietatio omnis deſiderij naturalis. Prætereà ſuppoſitâ eleuatione naturæ ad ſupernaturalia, bonum naturæ proportionatum, quod eſt *viuere ſecundum rationem* non eſt à parte rei vltimus finis paruulorum propter quem à Deo conditi ſunt. Vndè paruuli non conſequuntur à parte rei ſuum vltimum finem. Cùm miſeria felicitati opponatur, miſer *ſimpliciter* dicendus eſt, qui caret felicitate quæ eſt vltimi finis conſecutio. Quia tamen felicitas iſta, quâ caret paruulus, eſt felicitas ſuperexcedens, & ex nullo actu perſonȩ, ſed ſolo naturæ vitio denegata; carentia illius compatitur ſecum omnem naturalium perfectionem & bonitatem, quȩ ex principijs naturȩ debetur ſecundùm quam poſſunt paruuli dici beati *ſecundum quid*; id eſt, *ſuâ naturali ſorte contenti.*

Hæc de FVNICVLO SECVNDO. Et quidem ſpero fore, vt deinceps, vbi hic noſter FVNICVLVS ſolo veritatis amore perlegetur, S. AVGVSTINVS perpetuo D. THOMÆ ſit copulandus, & vt quos coniunxit Deus, homo non ampliùs ſit ſeparaturus.

FVNI-

Digitized by Google

FVNICVLVS TERTIVS

IANSENIVS.

CXXIII. NE quem terreat IANSENII nomen, præmonitum volumus Lectorem, nihil in hoc Funiculo à nobis tractari de *materia quinque propoſitionum.* Eas omnes & ſingulas in TRIVMPHO THOMISTARVM reprobauimus & damnauimus, [a] in omni ſenſu ab Eccleſia reprobato & damnato: imò & nunc reprobamus & damnamus. Cordatis S. AVGVSTINI diſcipulis ſcribimus, quos alligare volumus, vt deinceps infuſo ANGELICI Solis lumine, non humano ſtudio AVGVSTINVM in THOMA ſine errore perdiſcant. Neceſſitatem ANGELICI luminis ad veram S. AVGVSTINI intelligentiam nouiſſimè demonſtrat IANSENIVS *Iprenſis Epiſcopus*; Vbi enim cum D. THOMA docet, nihil melius; vbi verò à D. THOMA recedit ſeparans eum ab AVGVSTINO, in eaſdem cecidit *Baij* & *Molinæ* foueas. Omnia cum *Baio* tenuit, quæ Funiculo ſecundo colligauimus. Attamen defectus ANGELICI luminis ſpecialiter ſe prodit in illis quæ de AMORE SVI, & IGNORANTIA INVINCIBILI docuit IANSENIVS. Cum *Molina* GRATIAM VERSATILEM in ſtatu innocentiæ & Angelis inuexit. Hæc ergo tria component TERTIVM FVNICVLVM, quem PRÆDETERMINANTE DEO, & prelucente ANGELICO DOCTORE, ita conſtringemus, vt vna poſſit eſſe omnium Cordatorum concluſio, AVGVSTINVS IN THOMA LEGENDVS.

[a] THOMISTAR. TRIVMPHVS damnat 5 propoſit. Primam, tomo 1. *de Scientia Media ad examen reuocata.* c. 2. art. 1. §. vlt. Secundam, ibid. num. 169. Tertiam, num. 154. Quartam, num. 169. Quintam, num. 253. Tres primę etiam damnantur tomo 3. cap. 5. §. vlt. Tertia tomo 2. Opuſc. 3. *de Libertate.* c. 11. §. 1.

§. I. *Neceſſitas ANGELICI luminis ad doctrinam AVGVSTINIANAM de AMORE SVI.*

CXXIV. CElebre eſt S. AVGVSTINI de duabus ciuitatibus pronuntiatum: *ſeceernunt*, inquit, [b] *ciuitates duas, amores duo, terrenam ſcilicet AMOR SVI vſque ad contemptum Dei, cœleſtem verò AMOR DEI vſque ad contemptum ſui.* Omnem SVI AMOREM à Fulgentiſſimo Eccleſię Sole damnatum credidit IANSENIVS, eumque peccare, qui non ex amore Dei in aliqua creaturâ delectatur. Multis id probare contendit in libro de ſtatu naturæ lapſæ [c] ex doctrina S. AVGVSTINI. Fortè à nobis non diſſentiet, ſi acceſſerit lux ANGELICA: cui non ſufficienter attendit tamquam ſapientię, quæ de ſurſum eſt, magis eam conſiderans vt ex Ariſtotelis Philoſophia profectam: cùm tamen nonniſi ex S. AVGVSTINO, infuſo deſuper lumine, hauſerit eam Sol Angelicus quintus Eccleſię Doctor. Ipſe igitur exponat nobis quis ſit ille amor ſui, quo contemnitur Deus, & ciui-

[b] lib. 14. de Ciuitate Dei cap. vlt.

[c] IANSENIVS tomo 2. lib. 2. c. 7. & ſequentibus.

ciuitas Babylonica fundatur.

d 1. 2. q. 77. a. 4. ad 1. *Amor ſui*, inquit, [d] *ordinatus eſt debitus & naturalis, ita ſcilicet quod velit ſibi bonum quod congruit: ſed amor ſui inordinatus qui perducit ad contemptum Dei ponitur eſſe cauſa peccati ſecundùm AVGVSTINVM.* Amare aliquem eſt velle ei bonum. Amare ſeipſum eſt velle ſibi bonum. Hæc plana ſunt & accepta apud omnes. Si quis vult ſibi bonum quod congruit, eſt amor ſui ordinatus. Si quis vult ſibi bonum quod non congruit, eſt amor ſui inordinatus, Babylonicæ ciuitatis fundamentum. Si obieceris illud Apoſtoli: [e] *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines AMANTES SEIPSOS*; occurrit D. THOMAS: [f] *Amantes ſeipſos vituperantur, inquantùm amant ſe ſecundùm naturam ſenſibilem, cui obtemperant, quod non eſt verè amare ſeipſum ſecundùm naturam rationalem, vt ſibi velint ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis.*

e. 2. Timot. 3.

f. 2. 2. q. 25. a. 4. ad 3.

CXXV. Multùm inter ſe diſtant, dicere *omnem ſui amorem eſſe vitioſum*, & dicere, *nullum ſui amorem eſſe verum niſi ordinatum.* Nam ex poſteriori dicto colligitur, ſi propriè loquamur, nullum *ſui amorem* eſſe vitioſum, quia qui vitioſus extiterit, non verè *ſui amor* erit. Propterea conſultò addidit S. AVGVSTINVS, *amor ſui vſque ad contemptum Dei.* Elegantiſſimè & Angelicè explicat [g] doctrinam iſtam D. THOMAS, probans ſolos bonos verè amare ſeipſos. Verba eius do:

g. 2. 2. q. 25. a. 7.

„ Reſpondeo dicendum, quòd amare ſeipſum vno modo commune eſt „ omnibus, alio modo proprium eſt bonorum, tertio modo proprium eſt „ malorum. Quod enim aliquis amet id quod ſeipſum eſſe æſtimat, hoc „ commune eſt omnibus. Homo autem dicitur eſſe aliquid dupliciter, vno „ modo ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vt naturam, & ſecundum hoc omnes „ æſtimant ſe eſſe id quod ſunt ſcilicet ex anima & corpore compoſitos, & „ ſic etiam omnes homines boni & mali diligunt ſeipſos, inquantùm diligunt „ ſui ipſorum conſeruationem.

„ Alio modo dicitur homo eſſe aliquid ſecundùm principalitatem, ſicut „ princeps ciuitatis dicitur eſſe ciuitas. Vnde quod principes faciunt dicitur „ ciuitas facere. Sic autem non omnes æſtimant ſe eſſe id quod ſunt. Principale enim in homine eſt mens rationalis. Secundarium autem eſt natura „ ſenſitiua & corporalis; quorum primum Apoſtolus nominat *interiorem hominem*, ſecundum *exteriorem*: vt patet 2. ad Corinth. 5. Boni autem æſtimant principale in ſeipſis rationalem naturam ſiue *interiorem hominem*: vndè ſecundùm hoc æſtimant ſe eſſe quod ſunt. Mali autem æſtimant principale in ſeipſis naturam ſenſitiuam & corporalem ſcilicet *exteriorem hominem*: vnde non rectè cognoſcentes ſeipſos, non verè diligunt ſeipſos. ſed „ diligunt id, quod ſeipſos eſſe reputant.

„ Boni autem verè cognoſcentes ſeipſos, verè ſeipſos diligunt. Et hoc „ probat Philoſoph. in 6. Ethic. per quinque quæ ſunt amicitię propria. „ Vnuſquiſque enim amicus primò quidem vult ſuum amicum eſſe & viuere, „ ſecundò vult ei bona, tertio operatur bona ad ipſum, quartò conuiuit ei „ delectabiliter, quintò concordat cum ipſo quaſi in iiſdem delectatus & „ contriſtatus. Et ſecundum hoc boni diligunt ſeipſos quantùm ad *interio-*

rem

„ *rem hominem*, quia etiam volunt ipſum ſeruari in ſuâ integritate, & op-
„ tant ei bona, quæ ſunt bona ſpiritualia, & etiam ad ea aſſequenda ope-
„ rari intendunt, & delectabiliter ad cor proprium redeunt: quia ibi in-
„ ueniunt & bonas cogitationes in præſenti, & memoriam bonorum præ-
„ teritorum, & ſpem futurorum bonorum, ex quibus delectatio cauſatur.
„ Similiter etiam non patiuntur in ſeipſis voluntatis diſſenſionem, quia tota
„ anima eorum tendit in vnum.

„ E contrario autem mali non volunt conſeruari in integritate *interioris ho-*
„ *minis*, neque appetunt eius ſpiritualia bona, neque ad hoc operantur, ne-
„ que delectabile eſt eis ſecum conuiuere redeundo ad cor: quia inueniunt
„ ibi mala & præſentia, & præterita, & futura, quę abhorrent; neque
„ etiam ſibi ipſis concordant propter conſcientiam remordentem ſecundùm
„ illud Pſalmi, *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.*

„ Et per eadem probari poteſt quòd mali amant ſeipſos ſecundùm corru-
„ ptionem *exterioris hominis*: ſic autem boni non amant ſeipſos.

CXXVI. Cùm ſibi contra iſtam doctrinam obieciſſet [h] authoritatem S. AVGVSTINI ex libro 14. de Ciuitate Dei, AMOREM SVI eſſe principium peccati, & facere ciuitatem Babylonis: ac conſequenter maximè in peccatoribus inueniri: Reſpondet: *Quod AMOR SVI, qui eſt principium peccati, eſt ille qui eſt proprius malorum perueniens vſque ad contemptum Dei, vt ibidem dicitur: quia mali etiam ſic cupiunt exteriora bona, quod ſpiritualia contemnunt.*

[h] ſupra ad I.

In hac luce Angelicâ erudimur hominem rectè amare ſeipſum, dum quærit iuſtus eſſe, temperatus, ſobrius, caſtus, &c. Delectatio ſequitur ad poſſeſſionem boni amati; Rectè igitur de ſeipſo quis delectatur, dum delectatur de eo quòd ſit iuſtus, temperatus, ſobrius, caſtus, &c. quę omnia priùs deſiderata non poſſunt non delectare poſſeſſa. Conſonat & S. AVGVSTINVS, dum caſtum iuſtitię amorem non aliter explicat, [i] quàm per amorem iſtius notionis menti impreſſæ, quâ *Iuſtus animus* dicitur, *qui ſcienita atque ratione in vita ac moribus ſua cuique diſtribuit.* Cui placet iſta notio, & deſiderat habere *iuſtum animum*, caſtè amabit ſeipſum, & caſtè de ſeipſo delectabitur, ſi gaudeat ſe habere *iuſtum animum.* Vide THOMISTARVM TRIVMPHVM [l] de his fusè differentem & AVGVSTINVM, THOMÆ inſeparabiliter copulantem.

[i] lib. 8. de Trinit. c. 6.

[l] THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. c. 3. & 4.

Caueat ille *Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Non ſibi tribuat *iuſtum animum*; agnoſcat GRATIÆ PRÆDETERMINANTIS munus; & in Deum vltimatè referat omne gaudium ſuum. Si Deo non gratias agit, authorem non agnoſcens, de cœlo cadit, id eſt, à caſto ſuo gaudio recedit: ſed ſicut caſus Sathanæ non impediuit, quominus Sathan verè in cœlo fuerit, ita complacentia illius qui in ſeipſo de bono opere & caſto gaudio gloriatur non impedit, quin caſtum ſuipſius habuerit, & amorem & gaudium; Vide quæ ſupra [m] diximus.

[m] num. 83.

§. II. Non

Digitized by Google

§. II. *Non omnis delectatio de ſenſibili creaturâ eſt ſecundùm S. AVGVSTINVM vitioſa.*

CXXVII. NOn ſola *virtutis* delectatio excluditur à vitio, ſed multa alia ſenſibilia docet eſſe S. AVGVSTINVS, in quibus ſine vllo peccato delectamur „ *Amanda eſt*, ait, *n iuſtitia* : & in hac iuſtitia aman-„da gradus ſunt proficientium. Prius eſt, vt amori iuſtitię non præponantur „omnia, quæ delectant. Ipſe eſt, primus gradus. Quid eſt, quod dixi? Vt „inter omnia quę delectant plus te delectet ipſa iuſtitia : NON VT ALIA „NON DELECTENT, SED PLVS IPSA DELECTET.

n. de verbis Apoſt. ſerm. 17.

„ Delectant enim quædam naturaliter infirmitatem noſtram, vt cibus & „potus delectant eſurientes atque ſitientes : vt nos delectat hæc lux quæ de „cœlo funditur ſole exorto, vel quæ ſideribus & luna fulget, vel quæ in „terra accenditur luminibus conſolantibus tenebras oculorum : delectat ca-„nora vox & ſuauiſſima cantilena : delectat odor bonus : delectat etiam ta-„ctum noſtrum quæcumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem, & hęc „omnia quæ nos delectant in ſenſibus corporis aliqua licita ſunt.

„ Delectant enim, vt dixi, oculos & ſpectacula iſta magna naturæ : ſed „delectant oculos etiam ſpectacula theatrorum. Hæc licita, iſta illicita. „Pſalmus ſacer ſuauiter cantatus delectat auditum : ſed delectant auditum „etiam cantica hiſtrionum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectant olfactum „flores & aromata, & hæc Dei creatura : delectant olfactum etiam thura „in aris dæmoniorum. Hoc licitè, illud illicitè. Delectat guſtum cibus non „prohibitus, delectant etiam epulæ ſacrilegorum ſacrificiorum. Hoc licitè, „illud illicitè. Delectant coniugales amplexus, delectant etiam meretricum. „ Hoc licitè, illud illicitè.

„ Videtis ergo chariſſimi etiam in iſtis corporis ſenſibus licitas eſſe, & il-„licitas delectationes. Iuſtitia ſic delectet, vt vincat etiam licitas delecta-„tiones : & ei delectationi, quâ licitè delectaris, prępone iuſtitiam. Huc vſque Fulgentiſſimus Eccleſiæ Sol.

CXXVIII. Obſeruandus eſt diligenter primus ille iuſtitiæ gradus, quo Deus ſuper omnia amatur, & alium compatitur amorem non ex amore Dei ortum. Non enim exigit, vt nullus ſit in voluntate amor delectationis licitę, præter amorem Dei, ſed vt plus ametur Deus, quàm ametur delectatio licita; quod fit, dum quis paratus eſt dimittere delectationem licitam potiùs quàm transgredi Dei præceptum mortaliter obligans. Exprimit hoc S. AVGVSTINVS dicens : *Non vt alia non delectent, ſed plus ipſa delectet.* Qui in iſta animi præparatione amat cibum delectabilem non prohibitum, qui amat coniugalem amplexum, & in eis delectatur, amat creaturam ſed non vſque ad contemptum Dei.

Verumtamen non intendimus licitum eſſe, ob ſolam delectationem ſumere cibum non prohibitum, & coniugalibus frui amplexibus. PROBABILISTARVM eſt iſta laxitas non gemini Eccleſiæ Solis inconcuſſa veritas, quam

quam refutauimus in TRIVMPHO THOMISTARVM. o Sed cum vtroque Sancto Doctore volumus, quòd vbi ratio dictat ex neceſſitate cibum eſſe ſumendum, tunc ſine peccato poſſumus veſci carnibus delectantibus relictis piſcibus alijſque cibis qui faſtidium ingerunt, aut non ita delectant; quamtumvis æquè benè piſcibus, quàm carnibus ſubueniretur neceſſitati. In iſto æquali neceſſitatis ſubſidio non ex amore Dei, aut iuſtitia, ſed ex amore delectationis piſcibus præferuntur carnes. Sic cum amore Dei, aut iuſtitiæ componitur amor cibi delectabilis. Plus tamen Deus, quam delectans amatur cibus: quia ſumendi cibi ſi non occurreret ex ratione dictante neceſſitas, & delectantis cibi reſpueretur ſuauitas.

o. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 5. *De probabilitate* num. 129.

CXXVIII. Clariùs rem explico. In ſumptione cibi duo concurrunt, videlicet neceſſitas ſubueniendi corpori, & delectatio guſtus. Ad ſubueniendum corpori, æquè conducere piſces ac carnes ſupponimus. Carnes igitur ſumo vt ſubueniam corporis neceſſitati: at carnes præeligo piſcibus ex delectatione guſtus: neceſſitati ſubordinans delectationem, eo ipſo quod ſim ita diſpoſitus, vt nec carnibus veſcerer ſi neceſſitate non vrgerer. Sic amo. cibi delectationem, & ſimul ſubueniendæ neceſſitatis iuſtitiam, ſed plus iuſtitiam, quàm delectationem.

Eamdem Sapientiſſimi Magiſtri ſui tradit doctrinam Sol Angelicus & dilucidè explicat his verbis: p „ Amor ſui tripliciter ſe poteſt habere ad „ charitatem. Vno enim modo contrariatur charitati, ſecundùm quòd ali„ quis in amore proprij boni finem conſtituit. Alio verò modo in charitate „ includitur, ſecundùm quòd homo ſe propter Deum, & in Deo diligit. „ Tertio modo A CHARITATE QVIDEM DISTINGVITVR, SED „ CHARITATI NON CONTRARIATVR, puta cum aliquis diligit ſe„ ipſum ſecundùm rationem proprij boni: ita tamen quòd in hoc proprio „ bono non conſtituat finem, ſicut etiam & ad proximum poteſt eſſe ali„ qua ſpecialis dilectio præter dilectionem charitatis, quę fundatur in Deo, „ dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicuius „ alterius conditionis humanę, quę tamen referibilis ſit ad charitatem.

p. 2. 2. q. 19. a. 6.

En quàm pulchrè, quàm ſolidè, quàm ad conſcientiæ pacem aptiſſimè, memorata S. AVGVSTINI explicatur doctrina. Amor delectationis licitæ v. g. coniugalis amplexus, contrariatur amori Dei, ſi plus ametur quàm Deus, ait S. AVGVSTINVS, quòd idem eſt ſecuudùm D. THOMAM ac ſi in coniugali amplexu finis vltimus conſtituatur. Amor coniugalis amplexus procedit ex amore Dei & in charitate includitur, dum ad ſatisfaciendum diuinę legi, aut placendum ſupremæ bonitati coniugalis amatur amplexus. Amor coniugalis amplexus non eſt ex amore Dei ſed amori Dei coniungitur, ſi ad generationem prolis & conſequentem delectationem ametur, ita tamen quòd in generatione & delectatione conſequente vltimus non ponatur finis ait D. THOMAS, hoc eſt, ſecundùm S. AVGVSTINVM ſi plus ametur Deus, quàm generatio prolis & conſequens delectatio, hoc enim ſibi volunt iſta verba: *vt inter omnia, quæ delectant, plus te delectet ipſa iuſtitia, NON VT ALIA NON DELECTENT, SED PLVS IPSA DELECTET.*

Crea-

Digitized by Google

CXXX. Creatus fuit Angelus in amore ſui procedente ex amore ſupernaturali Dei, at in ſecundo inſtanti peccauit continuando amorem ſui, non continuando amorem ſupernaturalem Dei, ſine quo referre ſe non poterat in Deum glorificatorem, quę tamen relatio ei fuerat data veluti regula & menſura, quâ amorem ſui regularet. Obligabatur enim in ſecundo inſtanti, ſicut & in primo ad referendum ſeipſum in Deum glorificatorem. Ipſe autem Deum glorificatorem non amando, ſeipſum tantùm amauit. Vnde nimis ſibi placuit celſitudinis ſuę non tenens menſuram; deſideransque ſaltem ex modo volendi, ſibi eſſe in beatitudine principium, eo ipſo quòd principij, cui ſubijci oportebat, deſeruerit ſubordinationem. *Quid eſt autem ſuperbia*, ait S. AVGVSTINVS, [a] *niſi peruerſa celſitudinis appetitus? Peruerſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodò fieri atque eſſe principium. Hoc fit cum ſibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipſe ſibi. Spontaneus eſt autem iſte defectus: quoniam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur vt videret, & accendebatur vt amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebreſceret, & frigeſceret.*

[a] de Ciuitate Dei lib. 14. cap. 13.

Quam doctrinam ſic reddit D. THOMAS: [b] „Secundùm affectum verò „illa ſolùm peccata in malis Angelis eſſe poſſunt, ad quę contingit affici „ſpiritualem naturam. Spiritualem autem naturam affici non contingit ad „bona, quę ſunt propria corpori, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualibus „inueniri poſſunt. Nihil enim afficitur niſi ad id quod ſuę naturę poteſt „eſſe quodammodò conueniens. In ſpiritualibus autem bonis non poteſt eſſe „peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, niſi per hoc quòd in tali affectu „ſuperioris regula non ſeruatur. Et hoc eſt peccatum ſuperbię non ſubdi „ſuperiori in eo quo debet. Vnde peccatum primum Angeli non poteſt eſſe „aliud, quam ſuperbia.

[b] 1. p. q. 63. a. 2.

Adduximus prædictam gemini Eccleſiæ Solis doctrinam, vt clariùs eluceret non omnem delectationis amorem, qui non ex amore Dei oritur, eſſe vitioſum. Nam dum præceptum referendi actu bona ſpiritualia in Deum non vrget, (ſicut non vrgere quandoque neceſſe eſt, cum ſit affirmatiuum) tunc ſine peccato amamus bona ſpiritualia, & in eis delectamur, amore non procedente ex amore Dei.

§. III. *Ly* tantùm, *vel ly* plus *reddunt amorem boni proprij liciti, & cuiuſcumque licitæ delectationis vitioſum.*

CXXXI. CRedimus defectum attentionis ad iſtas particulas ly *tantùm*, & ly *plus* in cauſa fuiſſe, cur peccare dicantur, qui ex amore ſui, & cuiuſcumque delectationis gratiâ aliquid operantur. Non ſic ſe habet veritas Angelica, quæ non ex ratione amoris prædicti deſumit alicuius operis

Digitized by Google

operis malitiam, ſed ex eo quòd opus fiat, vel ex amore delectationis licitæ *tantùm*, vel ex amore, quo *plus* delectatio licita amatur, quàm Deus, aut iuſtitia. Pecco v. g. ſi amo honorem tantùm, & ex ſolo amore honoris aliquid facio. Pecco etiam ſi amem & honorem & Deum, ſed *plus* honorem, quàm Deum.

Primum non attendunt, qui putant ad vitandum peccatum ſufficere rationem liciti, ſeu non prohibiti. Conſtans eſt vtriuſque fulgentiſſimi Solis doctrina, bonum debere *benè* fieri, & conſequenter id quod eſt licitum debet & *benè* fieri. At ſine amore iuſtitiæ nihil benè fieri docet vterque Sol. De quo vide THOMISTARVM TRIVMPHVM in Opuſculo *de Contritione*. c

c. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 4 cap. 1.

CXXXII. Hoc autem accidit, dum amor honoris excludit ab actu amorem iuſtitię; quod dupliciter contingit. Vno modo per ſe ex obiecto, dum honor eſt prohibitus eò quòd quæratur in illis rebus, quæ prohibentur ſiuè mortaliter ſiuè venialiter; nec enim vllum peccatum veniale poteſt cauſari ex amore iuſtitię. Ab actu igitur peccati venialis excluditur amor iuſtitiæ, licet non ab habituali conuerſione ſubiecti. At amor honoris mortaliter prohibiti, excludit & ab actu amorem iuſtitiæ, & ab habituali ſuper omnia conuerſione. Alio modo amor honoris excludit amorem iuſtitiæ quaſi per accidens, ratione ſubiecti, cuius voluntas non adiungit ex ſua libertate amorem iuſtitiæ. v. g. in Prælatione, inuenitur honoris bonum, & iuſtitiæ bonum inquantùm eſt vtilis proximo & Eccleſiæ. Quod in Prælatione ametur *tantùm* honor, & non vtilitas proximi, non procedit ex ratione honoris reperta in Prælatione; ſed ex ipſa libertate voluntatis non ſuperaddentis amorem iuſtitiæ ſiue vtilitatis proximi. Iſte Prælationis amor eſt vitioſus, non quia ex amore honoris concluditur, ſed quia ex ſolo amore honoris infertur voluntate excludente amorem iuſtitiæ. Quod exemplo prædeterminationis ad materiale peccati explicat TRIVMPHVS THOMISTARVM Opuſculo citato, [d] *de Contritione*.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 4. num. 15.

CXXXIII. Si ex vtroque & vtilitatis proximi, & honoris amore concluderetur Prælationis amor, ita tamen, quòd honor reſpueretur, ſi nullum ſibi coniunctum haberet iuſtitiæ bonum; tunc iſte Prælationis amor erit iuſtus, eâ ratione quâ ex amore iuſtitiæ concluditur, ſed minùs iuſtus & imperfectus propter coniunctionem & influxum amoris extranei. Comparantur enim inter ſe iſti duo amores non ſicut timor ſeruilis & filialis, ſed ſicut timor initialis & filialis. De quibus hæc habet D. THOMAS: [e] *Timor initialis eſt medium inter timorem ſeruilem & filialem, non ſicut inter ea, quæ ſunt vnius generis, ſed ſicut imperfectum eſt medium inter ens perfectum & non ens, vt dicitur in 2. Metaph. Quod tamen eſt idem ſecundùm ſubſtantiam cum ente perfecto: differt autem totaliter à non ente.* Timor filialis eſt ſolus timor amittendi iuſtitiam, & ſe habet vt ens perfectum; Timor ſeruilis, eſt ſolus timor patiendi pœnam, & ſe habet vt non ens; ac proinde ſicut non ens opponitur enti, ita timor ſeruilis opponitur timori filiali. Timor initialis eſt timor amittendi iuſtitiam, ſed coniunctus timori patiendi pœnam, & ſe habet vt ens imperfectum; & per conſequens eſt idem ſecundùm ſubſtantiam cum timore filiali; ſiquidem vtriuſque obiectum eſt amiſſio iuſtitię, ratione

e. 2. 2. q. 19. a. 6. ad 3.

Digitized by Google

cuius timor initialis differt totaliter à timore ſeruili, cuius obiectum eſt pati pœnam; ratione tamen ſubiecti coniungitur timori patiendi pœnam; inquantùm quod ita eſt diſpoſitus, vt ad agendum bonum non ſufficienter moueatur ex amore iuſtitię, ſed aliud calcar debet ei ex timore pœnæ ſuperaddi.

f. ſupra ad 2. CXXXIV. Ita ſe explicat Sol ANGELICVS dicens: f *Timor initialis non timet pœnam ſicut proprium obiectum: ſed inquantùm habet aliquid de timore ſeruili adiunctum, qui ſecundum ſubſtantiam manet quidem cum charitate ſeruilitate remotâ. Sed actus eius manet quidem cum charitate imperfectâ in eo, QVI NON SOLVM MOVETVR AD BENE AGENDVM EX AMORE IVSTITIÆ, SED ETIAM EX TIMORE POENÆ. Sed iſte actus ceſſat in eo, qui habet charitatem perfectam, quæ foras mittit timorem habentem pœnam, vt dicitur 1. Ioan, 4* Qui enim habet charitatem perfectam, ſicut ſolo amore iuſtitiæ mouetur ad benè agendum, ita ſolo timore amittendi iuſtitiam anguſtiatur. Deſumpſit doctrinam ſuam D. THOMAS ex ſapientiſſimo Magiſtro ſuo. Pluribus teſtimonijs id demonſtrare poſſem, ſed breuitatis gratiâ vnum pro FVNICVLO noſtro ſufficiet ex Tractatu in Epiſto-

g. tract. 9. in Epiſt. 1. Ioan. lam primam Ioannis, vbi S. AVGVSTINVS ait: g *Timor quaſi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Quantùm enim illa creſcit, ille decreſcit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor; minor charitas, maior timor. Si autem nullus timor, non eſt, quà intret charitas.*

CXXXV. Lubenter interrogarem eos, qui ſine lectione ANGELICI Solis ſtudent AVGVSTINO, quomodò ad introitum charitatis pellatur timor, & poſtea creſcente charitate decreſat? Nam ſi pellitur, ampliùs non eſt; & ſi non eſt, decreſcere nequit. Comparatio S. AVGVSTINI difficultatem auget. Nam poſt verba relata ſubnectit: *Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta priùs intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intrauit, vt introduceret charitatem.* Seta decreſcere nequit introducto lino.

Facilis eſt in lumine ANGELICO, & plana ſolutio. Timor ſeruilis dicit duo, rationem ſcilicet timendi. & ſeruilitatem; Introductâ charitate pellitur ſeruilitas, creſcente charitate decreſcit ratio timendi, ſecundùm quam conſiderat D. THOMAS timoris ſubſtantiam. Ly *tantùm* eſt ſeruilitas timoris, ratio timendi eſt pœna. Qui bonum agit ex timore pœnæ *tantùm*, ſeruiliter operatur. Dum incipit timori ſuperaddere amorem boni, non ampliùs agit ex timore *tantùm*; ſed ex vtroque, nempe ex timore pœnæ & ex amore boni mouetur ad operandum. Creſcente charitate minuitur timor pœnæ, quia plus ex amore agit, quàm ex timore; donec perfecta charitas foras mittit timorem, dum ex ſolo amore iuſtitię deinceps operatur. Abreuiatum Solis ANGELICI accipe verbum. Ex *ſolo timore pœnæ* bonum operari, vitioſum eſt. Ex *ſolo amore iuſtitiæ* bonum operari, perfectum eſt. Ex *vtroque & pœnæ timore, & iuſtitiæ amore* bonum operari, imperfectum eſt. Imperfectum pellit quod vitioſum eſt, & perfectum quod imperfectum eſt.

CXXXVI. Amor cuiuſcumque delectationis licitæ æquiualet timori pœnæ. Vnde ex ſolo amore delectationis licitę aliquid facere peccatorum eſt. Ex ſolo

Digitized by Google

ſolo iuſtitię, aut Dei amore operari perfectorum eſt; Ex vtroque amore, & delectationis licitę, & boni iuſtitiæ aliquid faciendum concludere, imperfectorum eſt, qui in incipientes diuiduntur & proficientes. *Incipientes* plus ex timore pœnæ, & delectationis licitæ amore, quàm ex amore iuſtitiæ operantur; quidquid tamen faciunt ex vtroque amore faciunt, alioquin peccarent. *Proficientes* magis mouentur ad benè agendum ex amore iuſtitiæ, quàm ex timore pœnę, aut licitę delectationis amore: quidquid tamen faciunt ex vtroque amore faciunt, alioquin perfecti forent. Vtrique & *incipientes* & *proficientes* ita ſunt diſpoſiti, quòd plus iuſtitiam ament, quàm licitas quaſcumque delectationes, inquantùm licitas dimitterent delectationes, ſi in opere particulari, quod delectat, nulla eis iuſtitiæ coniungeretur bonitas.

Duobus quaſi oculis ſua opera perficiunt: vno licitas quærunt delectationes; altero coniunctam intendunt iuſtitiæ bonitatem. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, g dicebat Domino Propheta Regius, in perſona in- g. Pſalm.
cipientium. Solet enim Deus ſenſibili delectatione & in benedictionibus dul- 138.
cedinis præuenire incipientes, vt qui propter infirmitatem ſuam non valent ex ſolo Dei amore in præceptis ambulare, hac ſuauitate allecti viam currant mandatorum. Verùm qui plus delectationis, quàm iuſtitiæ attendunt bonitatem, multipliciter deficiunt, tribuentes plenitudini gratiæ & charitatis, quod maiori ex parte proprio tribuendum foret amori. Eos graphicè depingit Beatus Noſter IOANNES A CRVCE Myſticæ Theologicę Sol ſplendidiſſimus, & Pœnitentiæ Miraculum, in libro primo *Noctis obſcuræ*; vbi eos in ſeptem capitalium vitiorum affectus, vt plurimùm incidere euidenter demonſtrat. Ibi qualis quilibet intus ſit, pudibundus agnoſcet. Experto crede Roberto. Ibi intelliges, quàm difficile ſit homini infirmo ex ſolo amore Dei aliquid operari. Mille reſpectus humani circumdant opera noſtra; & quę credimus perfectiora ſubtiliter inficit amor proprius.

CXXXVII. *Quis nos liberabit à corpore mortis huius*, h id eſt, ab omni- h. Rom. 7.
bus iſtis & vitijs & imperfectionibus? Gratia Domini Noſtri IESU CHRISTI VICTRIX ET PRÆDETERMINANS: quę dupliciter ab illis nos liberat. Primò faciendo quòd aſſumamus mortificationis & pœnitentię opera,
quibus quaſi *actiuè purgamur*. Hæc tribus NIHIL, vti dixi, i complexus i. num. 52.
eſt primus Reformati Carmeli parens in libro, cui titulum dedit *Aſcenſus Montis Carmeli*, quem vtinam Cordati omnes euoluerent, ad ſolidam deuoti fœminei ſexus directionem. Quàm multæ earum, quas *deuotas* dicimus, ob quos neſcio ſenſibiles guſtus, & exteriorem quemdam feruorem, iam putant ſe Deo perfectè vnitas, quę viam crucis penitùs ignorant, aut ad primum NIHIL vix peruenerunt? Quemadmodum dixit Apoſtolus, *non Coronabitur niſi qui legitimè certauerit*, ita de vnione illâ intimâ Dei, quæ eſt huius vitę corona, dicendum ex Beato Patre Noſtro, PRIMITIVI Spiritus in CARMELI Ordine reſtauratore colligitur, vt nemo Deo vniatur, niſi qui legitimè tria illa NIHIL pertranſierit. Quàm multę etiam viſionibus falſis decipiuntur, & reuelationes apprehendunt vbi non ſunt? Nullibi Cordatus inueniet, quo tam ſolidè & compendioſè queat verum à falſo diſcernere in omnibus motibus internis, & quò ſecuriùs ac ſine vllo erroris periculo

riculo animam ſibi ſubditam dirigere valeat.

Quàm multę denique confidunt in exterioribus quibuſdam deuotionibus, & ponunt carnem brachium ſuum, dum ſe putant in multiloquio ſuo exaudiendas, *paternotant*, vt vulgò dicitur; dum etiam de cultu interiori non curantes, Sanctos, eorumque imagines quibuſdam exterioribus officijs tantummodò venerantur, & quæ Sancti fecerunt imitatione complere non ſatagunt. Diſcet CORDATVS in memorato libro, & ſuper omnes intelliget, qualiter *in ſpiritu & veritate* Deum adorare, Sanctoſque venerari oporteat. Ne tamen B. IOANNIS A CRVCE abutaris doctrinâ ad aliud extremum abeundo.

CXXXVIII. Obſtupeſce CORDATE LECTOR; ad intimam illam & ineffabilem animę cum Deo vnionem, non ſufficit *actiua* iſta *purgatio*, id eſt, voluntaria, DEO SPECIALITER PRÆDETERMINANTE & VINCENTE, omnium paſſionum & deſideriorum mortificatio, & ex pręcedente conſilio aſſumpta executio.

Tanta eſt enim ex peccato originali & inueteratis malis conſuetudinibus exterior animæ noſtrę inordinatio, vt *actione* ſua non valeat omne fermentum vetus expurgare, propter commixtionem alicuius affectionis extraneæ; in omnibus noſtris etiam melioribus actionibus imperceptibiliter interuenientis: ſed oportet vt voluntariè *patiendo* per multas intellectus obſcuritates, varias affectus tentationes, multiplices animę ſiccitates, intret in regnum cœleſtis iſtius vnionis; Ad *purgationem paſſiuam* ordinauit PRIMITIVI Carmeli SPIRITVS inſtaurator librum hoc titulo inſignitum *Nox obſcura*. Ibi diſcet CORDATVS, quomodò anima, quæ in tribus NIHIL *actiuè* ſe purgando exercuit, poſtmodùm in ijſdem tribus NIHIL *paſſiuè* ſe habendo à Deo, cui liberè conſentit, exerceatur: qui eſt ſecundus modus, quo liberat nos GRATIA VICTRIX & PRÆDETERMINANS.

Qualiter verò ipſa vnio perficiatur, & habeatur, in alio libro, cui titulus *Viua Amoris Flamma*, & in illis quæ compoſuit, canticis, tutiſſimè & inconcuſsè declarat; quia regulam à Chriſto datam inflexibiliter tenuit, nempe, *à fructibus eorum cognoſcetis eos*. Cùm vnio illa animæ cum Deo in fide deſponſatę planè ſit ineffabilis, ex fructibus illius eam in prædictis libris ampliſſimè, & mirâ animi lætitiâ manifeſtauit. Hæc in honorem Beati Patris Noſtri (cui hos Funiculos præcurrendo dedicauimus, & præconceptum pœnitentię opus deſtinamus) dicta, non malè laturum ſperamus CORDATVM LECTOREM; qui ad præcedentia redeundo colligere poterit diſtinctionem eorum actuum, qui apud ſpirituales *imperfectiones* dicuntur, à peccato veniali.

CXXXIX. Ex ſolo amore delectationis licitę operari, peccatum veniale eſt. Sed commixtio iſtius amoris cum amore iuſtitiæ *imperfectio* eſt. Peccatum veniale excludit charitatis actum, hoc eſt, nullum peccatum veniale cauſatur ex amore iuſtitiæ. *Imperfectio* non excludit actum charitatis; quia actus qui dicitur imperfectus, debet etiam ex amore iuſtitiæ procedere; ſed diminuit actus intenſionem, iuxta illud, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; multiplicat etiam animam, & impedit, quin ad VNVM NECESSARIVM,

Digitized by Google

SARIVM, ex toto corde ſuo tendat. Peccatum mortale tollit charitatis habitum, qui in primo gradu ſuo non compatitur, vt plus creatura, quàm Deus diligatur. *Iſte eſt amor ſui vſque ad contemptum Dei*, quo ciuitas Babylonica ædificatur. Ad quem nullatenus pertinet *amor ſui*, qui vel ex amore iuſtitiæ oritur, vel ei in vno & eodem quem concludunt, actu copulatur. Si lucernam ANGELICAM non poſuiſſent quidam ſub modio, ſeparantes AVGVSTINVM à THOMA, agnouiſſent iſtum *ſui* amorem minimè vitioſum; nec defeciſſent propriæ ſcrutinio rationis doctrinam S. AVGVSTINI perſcrutantes.

§. IV. *Defectus Angelici luminis in quibuſdam circa ignorantiam inuincibilem perhibetur.*

CXL. SVmmam Magiſtri & Diſcipuli, AVGVSTINI, dico, & THOMÆ concordiam circa ignorantiam à peccato non excuſantem exhibet TRIVMPHVS THOMISTARVM *l* in Opuſculo de *Probabilitate*. *l*. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 5. c. 1. & 2. Ex quo manifeſtus fiet defectus ANGELICI luminis in quibuſdam, qui recurrunt ad peccatum originale, vt ſaluent ignorantiam inuincibilem à peccato non excuſantem. Ne actum agamus, ſolùm ex ijs, quæ ſunt in TRIVMPHO THOMISTARVM probata, deducemus Solis ANGELICI defectum, ratione cuius S. AVGVSTINVM non intellexerunt, vbi ſe maximè putarunt intelligentes.

Duplicem ſtatuit ignorantiam S. AVGVSTINVS, vnam *ſecundùm neceſſitatem*; aliam *ſecundùm voluntatem*; Ignorantia dicitur ſecundùm neceſſitatem, quæ ſtudio vinci non poteſt, & eſt volentis intelligere, ſed non potentis. Ignorantia dicitur ſecundùm voluntatem, quæ ſtudio expelli poteſt, & ideò eſt potentis intelligere, ſed non volentis. Conſtans hæc eſt S. AVGVSTINI doctrina, quæ in ſcriptis eius varijs luce meridianâ clarior relucet. Nulla eſt de ignorantia *ſecundùm voluntatem*, difficultas? nam ſi voluntaria ſit, & actus inordinatus ſequens non poteſt non eſſe voluntarius & per conſequens culpabilis.

De ignorantia ſecundùm neceſſitatem, *gigantea occurrit moles*, ait *IANSENIVS*, *m* *& vt videtur nodus inſolubilis, vt ex inuincibili ignorantia peccatum poſſit proficiſci. Quis enim capiat vt homo in eo peccet, quod neque ſcit neque ſcire potuit, nec voluntate ſua ſiuè volente, ſiue torpeſcente talis ignorantia cauſam dedit? Huiuſmodi enim peccata iam non erunt ne quidem voluntaria, quod ad peccati rationem omnino neceſſarium eſt, ſed neceſſaria. Et quis credat, tale portentum doctiſſimum Sanctiſſimumque virum docuiſſe? Si te, benigne Lector, iſta difficultas fortè mouet, profectò mouet & me; non tamen ita vt vel dubitem doctrinam iſtam AVGVSTINVM tradidiſſe, vel in ea tradenda fluctuaſſe, vel hallucinatum eſſe, ſed potiùs vt obſtupeſcam & exhorreſcam profunditatem iudiciorum Dei. Certiſſimum eſt enim quantùm excuſſis magno* *m*. lib. 2. de Statu naturæ lapſæ c. 4.

labore

labore diligentiâque principijs AVGVSTINI, & anfractibus doctrinæ ipſius iudicare licet, hoc AVGVSTINVM, hoc Hieronymum, hoc Concilium Paleſtinum ſine vllâ fluctuatione, vt rem in Catholicâ Eccleſiâ extra omnem controuerſiam tanquam in ſcripturis traditam docuiſſe. Hæc IANSENIVS *Epiſcopus Iprenſis*; Satis dixi.

CXLI. Non tanto labore diligentiâque, excuti debebant principia S. AVGVSTINI, & anfractus doctrinæ ipſius, ſed in lumine Solis ANGELICI diuinitùs infuſo oportebat ea ponderare. Pondere ANGELICI Sanctuarij libremus duplicem Ignorantiam memoratam, quam AVGVSTINVM, Hieronimum, Concilium Paleſtinum tradidiſſe non dubitamus & leue fiet omne difficultatis pondus. O ANGELICÆ doctrinę plenitudo, ſine quâ infra rationem deprimitur AVGVSTINIANI ſenſus altitudo? Ignorantiam *ſecundùm neceſſitatem*, Ignorantiam *volentis intelligere, & non potentis* docuit certiſſimè S. AVGVSTINVS, docuit Hieronymus, docuit Concilium Paleſtinum; docet & D. THOMAS, qui tamen emergentem inde ſubleuat difficultatem, diſtinguendo duplicem neceſſitatem, vnam abſolutam, aliam ex ſuppoſitione. Ignorantia *ſecundùm neceſſitatem abſolutam* tollit rationem voluntarij, ſine quâ portentum foret ponere peccatum. Ignorantia *ſecundùm neceſſitatem ex ſuppoſitione*, non tollet rationem voluntarij, ſi ſuppoſitionis cauſa ſit voluntas. Ita res ſe habet.

Inordinatus cuiuſlibet creaturæ amor, cui liberè adhæret voluntas ignorantiam & cæcitatem quamdam cauſat in intellectu, vt neceſſe ſit in ſenſu compoſito huiuſmodi amoris erroneum de agendis intra ſphęram illius formare iudicium. Impotentia eſt rectè iudicandi, ſed ex liberâ voluntatis adhæſione proficiſcens. v. g. Qui amat inordinatè honorem, neceſſe eſt vt de duello erroneè indicet; Mutet voluntatem, & honorem contemnat; illicò ſuam agnoſcit cæcitatem. Sic non labore ſtudij, ſed amore boni, non diſcendo, ſed amando de tenebris transfertur ad lucem. Manifeſtis S. AVGVSTINI & D. THOMÆ teſtimonijs veritas iſta in TRIVMPHO THOMISTARVM comprobatur, & elucidatur.

THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. v. *de Probabilitate* c. 1. & 2.

Hinc tacita præoccupatur obiectio, quâ obijci poteſt, Ignorantiam *ſecundùm neceſſitatem*, non diuidi congruè contra ignorantiam *ſecundùm voluntatem*, cùm & ipſa ſit *ſecundùm voluntatem*. Præoccupatur, inquam, hæc obiectio, dum non diſcendo, ſed amando tollitur ignorantia. Ignorantia ſecundùm voluntatem procedit ex negligentiâ addiſcendi; vnde non tam ignorantię, quam negligentiæ peccata reputantur quæ ex illâ fiunt. *Alind eſt enim non curaſſe ſcire*, ait S. AVGVSTINVS, [a] *quæ NEGLIGENTIÆ PECCATA etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.* Hæc ignorantia ſtudio vinci poteſt. Ignorantia ſecundùm neceſſitatem non ſtudio, ſed amore vincitur. Imò ſtudium, & ingenij lumen augent prædictam ignorantiam; dum mille adinuenit rationes, & quos neſcit excogitat prætextus *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* [b] De iſtâ ignorantiâ mirabiliter diſſerit Beatus P. N. IOANNES A CRVCE, & neruosè probat, quæ nuper diximus. Verba illius do in noſtrâ vulgari linguâ, ſecundùm tranſlationem.

a. lib. de Natura & grat. c. 17.

b. Pſalm. 140.

N. CY-

N. CYPRIANI à Natiuitate B. Virginis : c c. lib. 1. Aſcenſus M. C. cap. 8.

CXLII, „ L'appetit offuſque auſſi & aueugle l'ame, parce qu'entant qu'ap-
„ petit il eſt aueugle, dautant que de ſoy il ne regarde point la raiſon, qui
„ eſt celle qui conduit & achemine droitement l'ame en ſes operations :
„ d'où vient que toutes les fois, que l'ame ſe guide par ſon appetit, elle
„ s'aueugle. Car c'eſt comme ſi celuy qui voit, ſe ſeruoit pour guide de
„ celuy qui ne voit point, ce qui eſt comme s'ils eſtoient tous deux aueu-
„ gles : Et de là s'enſuit le meſme que noſtre Seigneur dit en S. Matthieu :
„ d *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Peu ſer- d. Matth. 15.
„ uent les yeux au Papillon, puis que l'appetit de la lumiere le fait bruſler
„ à la chandelle, eſtant esbloüis par ſa force & viuacité : ſi bien que nous
„ pouuons dire, que celuy qui ſe repait de l'appetit, eſt comme vn poiſ-
„ ſon esbloüy auquel la lumiere ſert pluſtoſt de tenebres pour ne point voire
„ les embuſches que luy dreſſent les peſcheurs. Ce que Dauid donne bien à
„ entendre, diſant de telles gens ; e *Supercecidit ignis ; & non viderunt Solem:* e. Pſalm. 57.
„ parce que l'appetit reſſemble au feu qui eſchauffe de ſa chaleur, & eſ-
„ blouyt de ſa lumiere. Ce que l'appetit faict auſſi en l'ame, à ſcauoir d'al-
„ lumer la concupiſcence, & d'esblouyr l'entendement, de ſorte qu'il ne
„ puiſſe voire ſa lumiere, parce que la cauſe de l'esbloüiſſement, c'eſt que
„ mettant vne autre lumiere differente deuant les yeux, la puiſſance viſiue ſe
„ repait en elle, qui luy eſt immediatement preſentée, & ne voit plus l'au-
„ tre. Or comme l'appetit s'approche lors ſi pres de l'ame & de ſa veuë,
„ elle trebuche en cette lumiere, & ſe repait en icelle ; & ainſi il ne la
„ laiſſe ioüir de ſa vraye & propre lumiere de claire intelligence, ET NE
„ L'A VERRA POINT IVSQVES A CE QV'ON AIT OSTE' L'ES-
„ BLOVISSEMENT DE L'APPETIT.

„ C'eſt pourquoy il y a grand ſujet de deplorer l'ignorance de quelques-
„ vns, qui ſe ſurchargent de penitences, & de pluſieurs autres exercices
„ deſreglez, (ie parle de ceux qui le font par propre volonté) y mettant
„ leurs confiance, & penſans qu'eux ſeuls ſans la mortification de leurs ap-
„ petits, & autres choſes ſuffiront pour paruenir à l'vnion de la ſageſſe di-
„ uine, mais ils s'abuſent, & ſe meſcontent, s'ils ne taſchent, & procu-
„ rent auec diligence de renoncer à leurs appetits. Que ſi les perſonnes
„ emploioient la moictie de leur trauail en cela, elles profiteroient plus en
„ vn mois par cette voye, qu'en pluſieurs années par tous les autres exer-
„ cices, Car comme il eſt neceſſaire de cultiuer la terre pour la rendre fer-
„ tile, autrement elle ne rapporte que de mauuaiſes herbes ; de meſme il
„ faut mortifier les appetits pour l'aduancement de l'ame. Sans cela i'oſe di-
„ re que pour croiſtre en la perfection, & en la cognoiſſance de Dieu &
„ de ſoy meſme, tout ce qu'elle fera ne luy ſeruira pas dauantage que la
„ ſemence qu'on reſpand ſur vne terre ſeiche, & qui n'eſt point labourée.
„ Par ainſi l'on n'oſtera point les tenebres & la ſtupidité de l'ame, iuſques
„ à ce qu'on amortiſſe les appetits, parce qu'ils ſont comme les cataractes,
„ ou comme des mailles en l'œil, qui EMPESCHENT LA VEVE IVS-
„ QV'A TANT QV'ON LES AYE OSTEES.

Ad

Digitized by Google

f. lib. 3. cap. 18. g. Sap. 4.

Ad idem propoſitum adducit in alio loco *f* illud Sapientię : *g Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitiâ.* Quod ſic explicat.

„ Ou le Saint Eſprit donne à entendre qu'encore qu'il n'aye precedé au- „ cune malice conceuë en l'ame, la ſeule concupiſcence, & ioye des cho- „ ſes crées ſuffit pour cauſer en elle ce premier degré de ce dommage, qui „ eſt L'OBTVSION DE L'ESPRIT, & L'OBSCVRITE' DE IVGE- „ MENT POVR COGNOISTRE LA VERITE', ET IVGER BIEN „ DE CHAQVE CHOSE COMME ELLE EST. Et la Saincteté ny le „ bon iugement de l'homme ne l'empeſcheront de tomber en ce dommage, „ s'il donne lieu à la concupiſcence ou à la ioye és choſes temporelles. „ C'eſt pourquoy Dieu dit par Moyſe pour noſtre inſtruction : *h Nec acci- „ pies munera, quæ etiam excæcant prudentes & ſubuertunt verba iuſtorum.* Il „ parloit particulierement à ceux qui deuoient eſtre iuges. Car ils ont be- „ ſoin d'auoir le iugement net & ſubtil, ce qu'ils n'auroient pas auec la „ ioye & conuoitiſe des preſens.

h. Exod. 23.

CXLIII. Hæc myſticæ Sol Theologię accomodatiſſimè ad intentum noſtrum. Quæret aliquis, quid ergo S. AVGVSTINVS recurrit ad peccatum originale ſiuè ad peccatum primi hominis, quod liberrimâ voluntate commiſſum eſt? Reſpondeo, S. AVGVSTINVM non recurrere ad peccatum primi hominis, vt indè ſumat rationem voluntarij in peccato quod per ignorantiam committitur : ſiquidem de peccato perſonę, non de inordinatione naturæ agitur. Sed vt rationem reddat peccati ex errore præueniente commiſſi, quod nequit eſſe primum hominis peccatum, ſuauitas enim Diuinæ gubernationis exigit, vt peccatum ex errore commiſſum ſit pœna peccati : quod pluribus probauimus in THOMISTARVM TRIVMPHO ; *i* ad quem Lectorem remittimus.

i. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. cap. 12.

Defecerunt Scrutatores AVGVSTINI, non conſiderando ignorantiam inuincibilem dici ab AVGVSTINO, quæ ſtudio vinci non poteſt; ita tamen vt amore vincibilis ſit. Non eſſet autem amore vincibilis, niſi ad alium ſequeretur amorem; ac proinde niſi per accidens voluntaria foret, vt ait D. THOMAS in TRIVMPHO relatus. *l* Quare quòd *non excuſet à peccato*, hoc habet non ex eâ ratione quâ inuincibilis eſt, ſed ex eâ ratione quâ per accidens voluntaria eſt : in quo diſtinguitur ab ignorantia *negligentiæ*, quæ per ſe voluntaria eſt, & ſub nullâ ratione inuincibilis. D. THOMAS ignorantiam inuincibilem dicit eam, quę nullo modo voluntaria eſt; quid mirum, ſi eam excuſare à peccato affirmet? Omnem verò ignorantiam vincibilem dicit, quæ quocumque modo voluntaria eſt, & per conſequens à peccato non excuſat. Erit ergo inter vtrumque Eccleſiæ Solem aliqua in modo loquendi diuerſitas; ſed ſumma in rei veritate concordia. Vtinam & ſic deinceps vniantur eorum omnes Cordati diſcipuli!

l. Opuſc. 5. c. 1. §. 1.

§. V. *Ra-*

Digitized by Google

§. V. *Radix diuerſitatis detegitur in modo loquendi vtriuſque SOLIS.*

CXLIV. IN D. THOMA lætabitur anima mea; audiant Cordati & lætentur. Nihil quærenti veritatem de corde puro tam iucundum; quàm liberum ſe videre à latibulis occultantibus eam, & caliginoſis quibuſdam principijs eam inuoluentibus. Vna quandoque diſtinctio reddit in fine laborioſæ & vehementis diſputationis concordes eos, qui ſibi contradicere & plurimùm in initio aduerſari firmiter credebant. In hoc lætatur anima mea, quòd vna diſtinctio diuerſitatem detegit in modo loquendi S. AVGVSTINI, & S. THOMÆ, ratione cuius diuerſitatis putarunt aliqui ANGELICVM Doctorem declinaſſe à S. AVGVSTINO, vt Ariſtoteli adhæreret. Cùm tamen ipſi maximè ab eo declinarint, deſerto ANGELICI Solis lumine, vt proprium ſequerentur.

Duo ſunt in peccato, quod per ignorantiam, quæ ſtudio vinci non poteſt, committitur. Eſt enim in eo ratio voluntarij, ſecundùm quam voluntas liberè amplectitur errorem, ſequendo illius dictamen. Eſt etiam aliquid inuoluntarium, impotentia ſcilicet intelligendi, quæ licet oriatur ex aliquo amore; voluntas tamen iſto errore præuenitur in illis quę intra illius ſphęram occurrunt agenda. Inuoluntarium autem eſt homini ab illo errore ſicut & à concupiſcentia præueniri. D. THOMAS attendens ad rationem voluntarij indiſpenſabiliter requiſitam, vt peccatum imputetur voluntati, diſtinxit ignorantiam in eam, quę aliquo modo voluntaria eſt; & eam, quæ nullo modo voluntaria eſt. Primam vincibilem, & à peccato non excuſare affirmat. Secundam inuincibilem dicit, & à peccato excuſantem. Ratio eſt, quòd voluntas debet tendere in illicitum, ad hoc quòd peccet. In ignotum non poteſt tendere voluntas. Dum intellectus proponit illicitum ſub ſolâ ratione liciti, nonniſi in licitum tendit voluntas, cùm illicitum remaneat ignotum: & ipſa illicitum repudiaret, ſi notum ei fieret. Vt ergo in iſta diſpoſitione voluntas tendat in illicitum, debet eſſe cauſa, cur illicitum remaneat ignotum. Tunc enim exiſtens cauſa ignorantiæ eſt ſibi cauſa, cur in illicitum tendat.

CXLV. S. AVGVSTINVS non curauit de ratione voluntarij; hęc enim ratio omni peccato tam hominis ſani, quàm infirmi, communis eſt. Sed magis attendens ad hominis infirmitatem conſiderauit rationem inuoluntarij, & ſecundùm eam diſtinxit duplicem ignorantiam; Vnam in quâ nihil eſt inuoluntarium, dum ſcilicet adeſt ſufficiens poteſtas intelligendi, tunc enim ignorantia nonniſi in voluntatem reduci poteſt ſiuè directè, dum quis vult non intelligere, ſiuè indirectè dum negligit addiſcere in tempore opportuno. Alia eſt ignorantia, in quâ aliquid eſt inuoluntarium ratione cuius non poteſt reduci in voluntatem, dum ſcilicet non adeſt ſufficiens poteſtas intelligendi, eò quòd neceſſe ſit eàm aliquo errore prę̨ueniri. Sicut enim concupiſcentia præuenit, ita error præuenit in illis quæ agenda occurrunt intra ſphęram iſtius erro-

Digitized by Google

tis. Ipſum præueniri errore non eſt peccatum, ſed pœna peccati. Tunc primùm voluntas peccat, quando ex prǽueniente errore concludit aliquid agendum. Vnde quodammodo voluntarium inuoluntario commiſcet. Errat inuitus dum errore præuenitur; errat voluntariè, dum errorem & cauſat amor & applicat ad opus. Vide TRIVMPHVM THOMISTARVM m ex ſyllogiſmo practico id elucidantem in Opuſculo *de Probabilitate*.

m. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 5. num. 30.

Quarè ignorantia ſecundùm neceſſitatem eſt error prǽueniens quæ agenda ſunt intra ſphæram cuiuſdam amoris inordinati, à quo cauſatur, & applicatur ad opus. v. g. error quo creditur *duellum eſſe licitum ad reparationem honoris* prǽuenit voluntatem in quibuſdam quę occurrunt agenda intra ſphæram honoris inordinatè amati, & ab amore honoris inordinato cauſatur. & applicatur ad opus. Ex quâ parte præuenit, *pœna peccati* eſt, iuxta illud AVGVSTINI *pluens pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*. Ex quâ parte ab amore procedit, & applicatur ad opus, à peccato non excuſat. *Ex errore præueniente peccare*, infirmitas eſt naturæ lapſæ, quam non habet ex naturâ inſtituti hominis, ſed ex pœnâ damnati. Iſtud attendens S. AVGVSTINVS non negat *rationem voluntarij*, quam affirmat D. THOMAS, ſed *rationem* reddidit *inuoluntarij commixti*, reducens illam ad peccatum originale, in cuius pœnam à Deo ordinatur.

CXLVI. Vnica diſtinctio totam rem elucidat, & D. THOMAM S. AVGVSTINO mirè conciliat. Nam ſi diſtinxeris ignorantiam in eam, quæ tollitur *applicatione intellectus*, & eam, quæ tollitur *purgatione affectus*, diuerſitatem in modo loquendi inter Sanctos illos Doctores Eccleſiæ Soles inuenire poteris, nullam tamen in rei veritate diſſenſionem.

Poteris quoque reddere rationem, cur nulla ſit ignorantia excuſans à peccato contra legem naturalem; ſit tamen aliqua ignorantia excuſans à peccato contra legem ſupernaturalem. Cognitio legis naturalis habet ſe ad naturam rationalem ſicut quod natum eſt ineſſe, & debet. n *Quod autem natum eſt ineſſe & debet, nunquam abeſſet*, ait D. THOMAS, *niſi propter aliquam cauſam impedientem*. Cauſa impediens cognitionem eorum, quę occurrunt agenda ſecundùm legem naturalem eſt aliqua paſſio aut amor, cui liberè conſentimus & adhæremus: & ideò iuſtè nobis imputatur prædicta ignorantia. At cognitio legis ſupernaturalis non ſe habet ad naturam rationalem vt *quod natum eſt ineſſe & debet*. Reuelatione fidei eam conſequimur. Fides autem ex auditu ſecundùm Apoſtolum, o & auditus per verbum Chriſti. Quarè vſquedum aliquis audierit, ignorantia eorum, quæ ſecundùm legem ſupernaturalem agenda ſunt, nullam habet cauſam in nobis, ratione cuius iuſtè poſſit nobis imputari.

n 1. 2. q. 75. a. 1.

o. Rom. 10.

CXLVII. Aduerſus iſtam doctrinam de ignorantiâ excuſante à peccato contra legem ſupernaturalem grauiſſima ex doctrinâ Angelicâ formatur obiectio. Notum eſt omnibus D. THOMAM docere, infidelem ſicut & quemlibet alium peruenientem ad vſum rationis teneri ſub peccato mortali ordinare ſe in debitum finem; quod ſi quis fecerit, continuò iuſtificatur, & amicus Dei conſtituitur. Dixit autem Apoſtolus, p *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; cùm ergo iuſtificatus placeat Deo veluti amicus amico, fidem procul

p. Hebr. 11.

Digitized by Google

cul dubiò habet. Ex quo vlteriùs ſequitur, infidelem carere fide ex ſuâ culpâ, ac demum ignorantiam legis ſupernaturalis non excuſare eum à peccato.

Agnoſcimus Præceptoris noſtri Doctoris ANGELICI doctrinam; quam toto decurſu vitę ſuę tenuit eodem ſemper tenore; Omnis vitæ decurſus principio, medio, & fine clauditur. In libris ſententiarum quaſi in principio eam docuit; in quæſtionibus diſputatis quaſi in medio, ſed in ſumma veluti in fine. Conſtans igitur eſt DOGMA illius; & quidem TVTISSIMVM & INCONCVSSVM; contra quod præualere non poteſt omnis humana ratiocinatio, quantumvis ſubtiliſſima. Exurge THOMA, exurge Sol ANGELICE, & diſſipentur inimici tui. Exurge, hoc eſt, Fac me tuis apud Deum meritis exurgere, amictus infuſo tuo lumine ſicut veſtimento, quo illuminentur tenebræ perſequentium te, & inuidentium tibi. Rem ſpeciali paragrapho faciemus.

§. VI. *Elucidatur doctrina Angelica de obligatione in primo inſtanti vſus rationis ordinandi ſe in debitum finem.*

CXLVIII. CVm verba Angelica ſuam vim habeant, & neſcio quid energiæ ad conuincendum intellectum benè diſpoſitum, primò ea adducemus ex omnibus illis locis, in quibus prętlariſſimam illam doctrinam diuerſis temporibus propoſuit.

Primò in libris Sententiarum eam ſic proponit: q *Non poteſt eſſe quòd homo venialiter peccet ante illud tempus, quo vſum rationis habet, vt iam mortaliter peccare poſſit. Statim autem, vt ad tempus illud peruenit, vel gratiam habet, vel in peccato mortali eſt; quia ſi facit quod in ſe eſt, Deus ei gratiam infundit. Si autem non facit, peccat mortaliter, quia tunc eſt tempus, vt de ſalute ſua cogitet; & ei operam det;* q. 2. diſt. 42. q. 1. a. 5. ad 7.

Secundò in quæſtionibus diſputatis de eâ in hunc modum loquitur: r *Poſtquam verò vſum rationis habent, tenentur ſalutis ſuæ curam agere. Quod ſi fecerint, iam abſque peccato originali erunt, gratia ſuperueniente: ſi autem non fecerint, talis omiſſio eſt eis peccatum mortale.* Loquitur de pueris, de quibus iterum ait: ſ *Poſtquam habet vſum rationis, peccat mortaliter, ſi non facit quod in ſe eſt ad quærendam ſuam ſalutem: ſi autem faciat, gratiam conſequetur, per quam immunis erit ab originali peccato.* Rationem prædictæ obligationis & authoritate S. Scripturæ & ratione probat: t *Dicendum quod licet præcepta affirmatiua communiter loquendo non obligent ad ſemper, tamen ad hoc eſt homo naturali lege obligatus, vt primò ſit ſolicitus de ſua ſalute, ſecundùm illud Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei. Vltimus enim finis naturaliter cadit in appetitu, ſicut prima principia naturaliter primò cadunt in apprehenſione. Sic enim omnia deſideria præſupponunt deſiderium vltimi finis, ſicut omnes ſpeculationes præſupponunt ſpeculationem primorum principiorum.*

r. de Malo q. 5. a. 2. ad 8.

ſ. ibid. q. 7. a. 10. ad 8.

t. ad 9.

Digitized by Google

Tertiò in SVMMA tot miracula, quot articulos continente, eamdem ſine vlla cunctatione ijſdem principijs firmat ſententiam docens: * *Primum quod tunc* (cùm vſum rationis habere inceperit) *homini cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſeipſo, & ſi quidem ſeipſum ordinauerit ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati. Si vero non ordinet ſeipſum ad debitum finem ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt, & ex tunc non erit in eo peccatum veniale ſine mortali*, *niſi poſtquam totum fuerit ſibi per gratiam remiſſum.*

* 1. 2. q. 89. a. 6.

Et in ſolutione tertij argumenti ad idem inquit: *Quòd ab alijs peccatis mortalibus poteſt puer incipiens habere vſum rationis per aliquod tempus abſtinere: ſed à peccato omiſſionis prædicta non liberatur, niſi quàm citò poteſt ſe conuertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini diſcretionem habenti eſt, quòd de ſeipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem. Finis enim eſt prior in intentione, & ideò hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex præcepto Dei affirmatiuo, quo Dominus dicit, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos Zachariæ primo.*

Hæc eſt ANGELICA Doctrina, quę multis dura videtur, qui non volentes eam audire, abierunt retroſum. Eleuet ſe homo ſupra ſe, & dignam tanto Doctore ſententiam confitens admirabitur. Duo aſſerit D. THOMAS, primum, *teneri hominem ſub mortali ordinare ſe in debitum finem cum vſum rationis habere inceperit.* Secundum, *quòd iuſtificabitur, ſi ſe ordinauerit.*

CXLIX. Primum credimus ex S. AVGVSTINO deſumptum, qui auream illam protulit ᵘ ſententiam. *CVM COEPERIT ANIMA CAPAX ESSE RATIONIS, AVT A SAPIENTE MENTE REGITVR AVT AB ERRORE.* In quibuſdam exemplaribus loco ly *regitur* legi *regit.* Sic citaui in TRIVMPHO THOMISTARVM * Opuſc. *de Probabilitate.* Nihil refert quomodò legatur ad intentum noſtrum.

ᵘ. tract. 11. in Ioan.
*. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 5. num. 38.

Quid eſt à Sapiente regi niſi in finem debitum ordinari, cùm Sapientis ſit *ordinare*, nec in finem quemcumque ordinatur, qui à Sapiente mente regitur, ſed in finem vltimum, cùm Sapientis ſit *in altiſſimam cauſam ordinare.* Cùm ergò cœperit anima capax eſſe rationis, vel, vt ait *D. THOMAS*, cùm vſum rationis habere inceperit, aut in vltimum finem à Sapiente mente ordinatur, aut ab errore regitur, dicit S. AVGVSTINVS, quod idem expreſſit D. THOMAS alijs verbis inquiens: aut ordinat ſe in debitum finem aut peccat mortaliter, quia vel in eo quod debet conſtituit ſuum finem, vel in aliquo quod non debet.

Nec S. AVGVSTINVS dicit *actum animæ* regi ſed ipſam *animam. Regi* eſt in finem dirigi. Fines particulares ſunt huius aut illius actus fines proximi. Finis autem vltimus eſt finis animæ proximus. Animam igitur regi eſt in finem ſuum proximum, qui & vltimus eſt ſuorum actuum, dirigi. Aut ergo à Sapiente mente in finem vltimum ſuorum actuum & ſibi proximum dirigitur, aut ab errore. Idipſum aduertit D. THOMAS, dum ſignanter non *hominis actum* ſed *ipſum ait hominem* debere in finem debitum ordinari. Nam primò quod occurrit homini regendum, non eſt aliquis hominis actus ſed ipſemet homo, & ideò dixit D. THOMAS hominem debere de ſeipſo deli-

Digitized by Google

deliberare ; non autem dixit de aliquo hominis actu eſſe tunc deliberandum.

Loquitur etiam S. AVGVSTINVS planè in noſtro caſu, nempe de primo inſtanti, ſeu tempore, quo incipit vti ratione. Etenim explicat ea verba quæ Chriſtus Dominus JESUS dixit [a] Samaritanæ : *Bene dixiſti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir.* Quinque viros priores quos anima habuit, dicit eſſe quinque ſenſus, his quinque viris cùm ad annos exerendę rationis venerit, vel Sapientem mentem, vel errorem dicit ſuccedere; Sapientia ſuccedit tamquam vir legitimus, error tamquam adulter. Demus AVGVSTINI verba : [a] Ioan. 4.

CL. „ Videtur mihi faciliùs nos poſſe accipere quinque viros priores animæ, quinque corporis ſenſus eſſe. Quando enim quiſque naſcitur, antequam vti poſſit mente atque ratione, non regitur niſi ſenſibus carnis. Anima in puero paruulo quod auditur, quod videtur, quod olet, quod ſapit, quod tactu ſentitur, hoc appetit aut fugit .... Secundum hos quinque ſenſus tanquam quinque viros, priùs viuit anima : quia iſtis regitur.

„ Quarè autem viri dicti ſunt? Quia legitimi. A Deo quippe facti, & à Deo donati animæ. Infirma eſt adhuc quæ iſtis quinque ſenſibus regitur & ſub iſtis quinque viris agit.

„ At vbi venerit ad annos exerendę rationis, ſi eam ſuſceperit optima diſciplina & doctrina Sapientię : quinque illis viris ad regendum non ſuccedit, niſi vir verus & legitimus & illis melior, & qui meliùs regat, & qui ad æternitatem regat, ad æternitatem excolat, ad æternitatem inſtruat. Nam iſti quinque ſenſus non ad æternitatem nos regunt, ſed ad iſta temporalia, vel appetenda, vel fugienda. Vbi verò intellectus ſapientiâ imbutus regere cœperit animam, ſcit iam non ſolùm fugere foueam, & ambulare in æquali, quòd oculi oſtendunt animæ infirmæ, &c. Non alba & nigra diſcreturus eſt ſed iuſta & iniuſta, bona & mala, vtilia & inutilia, caſtitatem & impudicitiam, hanc vt amet, iſtam vt vitet : charitatem & odium, in hac vt ſit, in illo vt non ſit.

„ Hic vir quinque illis viris in iſtâ muliere non ſucceſſerat. VBI ENIM NON SVCCEDIT ILLE, ERROR DOMINATVR. NAM CVM COEPERIT ANIMA CAPAX ESSE RATIONIS AVT A SAPIENTE MENTE REGITVR, AVT AB ERRORE : ſed error non regit, ſed perdit. Poſt iſtos ergo quinque ſenſus mulier illa adhuc errabat, & error eam ventilabat. Error autem iſte non erat legitimus vir ſed adulter : ideò ei Dominus ait; *Bene dixiſti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuiſti* : quinque te ſenſus carnis primò rexerunt. Veniſti ad ætatem vtendæ rationis, nec ad Sapientiam perueniſti, ſed in errorem incidiſti. Ergo poſt illos quinque viros, *iſte quem habes non eſt tuus vir.* Et quid erat ſi vir non erat niſi adulter? voca itaque non adulterum ſed virum tuum : vt intellectu me capias, non errore de me aliquid falſum ſapias.

Hæc S. AVGVSTINVS longè ante D. THOMAM, Doctrinam ANGELICAM

LICAM exponens. Præceſſit Magiſter, ſequutus eſt Diſcipulus. Quî fieri poterit, vt gemini Eccleſiæ Solis ſententia efficaciſſimâ ratione non fulciatur? Vnam ex verbis vtriuſque credimus, ſaluo meliori iudicio, efficaciſſimam benè perpendenti, quid ſit illa diſcretio, ſecundùm quam homo dicitur incipere vti ratione.

CLI. Sol ANGELICVS obligationem ordinandi ſe in debitum finem probat ex ipſâ ratione finis, qui agenti propter finem priùs occurrit, quam ea quæ ad finem ordinantur. Finis enim eſt prior in intentione. Indubitatum eſt iſtud principium. Omnia alia ordinat homo ad ſeipſum ſicut ad finem. Priùs igitur occurrit ipſe homo ſibi, quàm alia, quæ ad ipſum ordinantur: & priùs de ſeipſo cogitat, quàm de quibusvis alijs, quando primò ſit agens propter finem, hoc eſt quando incipit vti ratione, & diſcernere quòd ſit aliquis finis propter quem agere oportet; & in quem debeat ſe ordinare. Et quod iſte finis non ſit delectabile bonum ſenſus, ſed rationis & intellectus bonum, non ſit corporis ſed animæ bonum, non actibus per ſenſum regulatis acquiratur, ſed actibus per rationem directis. Antequam hæc nouerit diſcernere, nondum peruenit ad vſum rationis.

Certum etiam eſt quòd homo naturaliter velit beatitudinem, id eſt, perfectionem ſuam, & quòd efficaciter mouentur ad ea quæ ſunt de ſuâ perfectione. Dum puer eſt, non aliam nouit perfectionem ſuam, niſi quam ei oſtendunt quinque ſenſus, vt patet ex S. AVGVSTINO nuper allegato.

‡ ſu. 150. ‡ Tunc incipit vti ratione, quando ad aliam perfectionem, nempe rationis bonum, nouit ſe ordinatum; vſque dum ſciat diſcernere inter perfectionem ſuam, quam ſenſus iudicat, & perfectionem ſuam quam intellectus diiudicat, nondum incipit vti ratione. Qui vult efficaciter aliquod bonum, & non proponuntur ipſi niſi duo, quę bonitatem amatam poſſideant, neceſſe eſt vt ad vnum de duobus ſe determinet. v. g. Ponamus quòd non ſit aliud dulce præter vinum, & lac; qui efficaciter vult dulce, & non aliud dulce diſcernit niſi vinum & lac, neceſſe eſt vt vel vinum vel lac proſequatur. Eo ipſò quòd non volet lac, volet vinum, & è conuerſo. Si tali præcipiatur lac appetendum, euidens eſt, præceptum illud talem obligare in eo inſtanti, quo volens dulce, debet ſe ad vnum de duobus determinare.

CLII. Ita res ſe habet in præſenti. Eſt præceptum naturale, quòd homo

b Zach. 1. debeat ſe ordinare in debitum finem iuxta illud, *b Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos.* Tempus quo obligat, non poteſt non eſſe illud, in quo neceſſe ſit hominem, vel in finem debitum, vel in finem indebitum ſe ordinare. Tale tempus, vt dictum eſt, adducitur, dum homo incipit vti ratione, quia qui quæſiuit huc vſque perfectionem ſuam per quinque ſenſus, tunc nouit quærendam eſſe per intellectum; ſi perfectio per intellectum quęrenda non placeat, remanet in illâ, quam per quinque ſenſus quæſiuit. Non enim poteſt non velle perfectionem ſuam, ad quam omnia alia poſtmodùm

c ſt num. dirigit. Hæc eſt vis rationis ANGELICÆ, dum ait, *c vltimus finis naturaliter cadit in appetitu.* Homo non poteſt non velle bonum illud, in quo apprehendit rationem vltimi finis: dum duo tantùm ſub iſtâ ratione apprehenduntur, non poteſt non ad vnum de duobus ſe determinare. Conuenientiſſimè

Digitized by Google

tiſſimè igitur pro illo tempore obligabitur lege naturali, ad amplectendum id, quòd ratio dictat de duobus amplectendum.

Quarè ad declarandam prædictam obligationem, optimè vtitur *d* verbis Christi : *Primum quærite regnum Dei.* Regnum enim cælorum eſt vltimus finis propter quem homo conditus eſt : & ideò prima hominis cognoſcentis finem illum ſollicitudo debet eſſe de ordinando ſe in regnum cælorum. Quilibet etiam experitur primam ſuam ſollicitudinem & deliberatam cogitationem eſſe de illo, quòd maximè quærit & deſiderat. Primum quod cogitat Mercator & inquirit in die, eſt de lucro ſuarum mercium. Voluptuoſi prima diei ſollicitudo eſt quomodò in bonis ducat diem illum. Si amor rei, quam maximè amamus inferat naturaliter primam noſtram ſollicitudinem; ſequitur quòd vbi eſt debitum aliquid maximè amandi, ibi quoque eſt debitum, vt de illo prima ſit ſollicitudo. Id quod à parte rei eſt finis vltimus, id maximè à nobis eſt amandum; ergo vbi primò id cognoſcimus, prima noſtra ſollicitudo debebit eſſe de illo.

d. Matth. 6.

CLIII. Efficaciam rationis noſtrę demonſtrant & verba AVGVSTINIANA: *cùm cœperit anima capax eſſe rationis, aut à ſapiente mente regitur, aut ab errore.* Si Mercator in tali horâ conſtitueretur, vt ſi in illâ non cogitet nec curam habeat de ſuis mercibus, iacturam earum faceret, numquid deſiderium lucri impelleret ipſum, vt in iſtâ horâ de ſuis mercibus cogitaret, & curam haberet. Ergo ſimiliter in illo tempore, quo homo incipit vti ratione deſiderium naturale veritatis impellet eum, vt à ſapiente mente regatur, ne iacturam illius faciat, dum ab errore regeretur. Lex naturalis ſe extendit ad omnia ea, quæ homo naturaliter deſiderat. Naturalis enim inclinatio eſt à Deo : omnia ergo ad quę naturaliter inclinamur ſunt per ſe bona, & lex naturalis pręcipit ea eſſe appetenda, & contraria eorum fugienda. Vide D. THOMAM. *d* Quapropter manifeſtè concluditur hominem lege naturali obligatum eſſe, vt à ſapiente mente regatur in illo tempore, quo incipit vti ratione, ne ab errore regatur contra inclinationem naturalem, quam habet, ad veritatem. Cerne, CORDATE LECTOR, quomodò Magiſtro ſuo ſapientiſſimo vbique conſonet fideliſſimus diſcipulus, & ipſe ſapientiſſimus, qui & iſtam tradidit rationem dicens : *e Cùm quilibet teneatur peccatum vitare, & hoc fieri non poſſit niſi præſtito ſibi debito fine, tenetur quilibet, cùm primò ſuæ mentis eſt compos, ad Deum ſe conuertere, & in eo finem conſtituere, & per hoc ad gratiam diſponitur,*

d. 1. 2. q. 94. a. 2.

e. De veritate q. 28. a. 3. ad 4.

CLIV. Inſurget fortè aliquis dicens obligationem præcepti deſumptam ex neceſſitate vitandi peccatum & errorem eſſe per accidens; ac proinde efficaciam allatæ rationis non inducere obligationem per ſe.

Quid tum? dummodo adſit vera obligatio in tempore memorato, ſemper ratio AVGVSTINIANA & ANGELICA conſequetur intentum; voces illam *per ſe*, aut *per accidens*, de nominibus non diſputamus. Verumtamen falſum eſt eam obligationem *eſſe per accidens*, quia neceſſitas vitandi errorem & peccatum deſumitur ex ipſa ratione finis & maximè vltimi, in quâ efficacia rationis noſtrę fundatur.

CLV. Nec aliquod grauis momenti argumentum formari poteſt *directè militans*

Digitized by Google

litans contra doctrinam traditam. Nam illud, quod *primò obijciunt* Aduerſarij, nullibi extare pręceptum conuertendi ſe ad Deum in primo inſtanti vſus rationis, ſolutum manet ex dictis; Nam lex naturalis extat, quâ obligatur homo ad ordinandum ſe in debitum finem; quam obligationem intimant etiam eloquia ſacra, in quibus pręcipitur, vt ad Deum conuertamur. Tempus verò iſtius obligationis adduci à primo vſus rationis inſtanti, efficaciſſimè vt credimus, probat ratio AVGVSTINIANA & ANGELICA. Imò ſufficeret id determinaſſe Solem Angelicum, nullo Sanctorum Patrum reclamante. Cùm enim TVTISSIMA & INCONCVSSA declarauerit Sedes Apoſtólica D. THOMÆ dogmata, non veremur cum doctiſſimis N. Salmanticenſibus dicere : *f quòd non minoris facienda eſt authoritas D. THOMÆ quoad intelligentiam ſacræ Scripturæ, quàm AVGVSTINI, Hieronymi, Gregorij, aut alicuius alterius ex Eccleſiæ Doctoribus: ex quorum operibus potiùs, quàm ex proprio marte credendum eſt illum ſuam expoſitionem & intelligentiam deſumpſiſſe. Quod ſi exponente ita Ambroſio, Hieronymo, aut Auguſtino nullus impunè intelligentiam reijceret, cur reijcienda erit expoſitio D. THOMÆ, per quem Hieronymus, Auguſtin. & Ambroſ. & cæteri Eccleſiæ Patres apertiùs & formaliùs nobis loquuntur?*

f. tract. de peccatis diſp. 20. n. 3.

CLVI. Quod *ſecundò obijciunt* neminem recordari talis adimpletionis, dicimus neminem etiam recordari ſe non adimpleuiſſe. Certum tamen eſt quoſdam adimplere, & quoſdam non adimplere. Abſtrahamus à præcepto. Certum eſt quoſdam eſſe qui in iſto inſtanti ordinant ſe in debitum finem, & quoſdam eſſe, qui non ordinant ſe in debitum finem. Obliuio ſuccedens non tollit, quod factum fuit. Peccatum iſtius omiſſionis inter occulta reponitur, de quibus dicitur, *g ab occultis meis munda me.* Intercedit hîc ignorantia facti, quę quemlibet excuſat ab obligatione confitendi peccatum, & de eo ſpecialiter dolendi. Sufficit confeſſio & dolor generalis omnium peccatorum ſuorum ad illius expiationem. Vnde nullus debet eſſe anxius de præterita omiſſione : quia in primâ perfectâ contritione, aut in primâ debitè factâ confeſſione fuit ei deletum. Humiliet ſe homo, & non ſuperbè velit ſine peccato eſſe; ſed ſępius cum Propheta Regio, Sanctiſſimiſque viris dicat Deo *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo*; & in pace erit, iactans cogitatum ſuum in Deo ſalutari ſuo.

g. Pſal. 18.

CLVII. Quęret alius, An qui non adimpleuit præceptum, teneretur poſteà adimplere, maneatque ſemper in peccato, imò ſit & actu peccans, donec de facto adimpleuerit, ſicut qui tenetur ad reſtituendum aliquid, peccat ſemper actu, quamdiu non reſtituit? Soluit iſtam quęſtionem D. THOMAS ſuprà [b] dicens : *Quòd ab alijs peccatis mortalibus poteſt puer incipiens habere vſum rationis per aliquod tempus abſtinere; ſed à peccato omiſſionis prædictæ non liberatur niſi quàm citò poteſt ſe conuertat ad Deum.* Solutio in hoc conſiſtit, quòd D. THOMAS concedat puerum incipientem habere vſum rationis poſſe per aliquod tempus abſtinere ab alijs peccatis mortalibus : ex quo ſequitur, quod Relatio ad vltimum finem non ſit debita niſi in primo inſtanti; quia ad vitandum ſingula peccata mortalia ſufficit relatio ad aliquem finem

b. num. 148.

proxi-

Digitized by Google

proximum alicuius actus particularis. Puer ergo qui non impleuit præceptum factus eſt in primo inſtanti peccator; & remanet in ſequentibus inſtantibus auerſus per proprium actum ab vltimo fine, ad quem non aliâ obligatione redire tenetur, quàm eâ, quę communis eſt omni peccatori, de qua, fauente Deo, in libris *de pœnitentia* dicturi ſumus.

Dixi argumenta non eſſe grauis momenti, quæ *directè militant* contra doctrinam Angelicam: ſunt enim quędam difficilia, quę tangunt qualitatem ſupradictæ in finem debitum ordinationis, & nexum illius cum gratia iuſtificante. Quibus damus paragraphum ſequentem.

§. VII. *Qualitas conuerſionis ſupradictæ, & connexio illius cum iuſtificatione.*

CLVIII. Diuerſi diuerſa de vtroque ſentiunt, non ſatis Angelica ponderantes verba, nec punctum humanæ tangentes infirmitatis. Vtrumque clarè expreſſit D. THOMAS. Nam qualitatem conuerſionis ſignificat dicens: [i] *Si verò non ordinet ſeipſum ad debitum finem ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt*, &c. i. ſupra num. 148. Coniunctionem iſtius conuerſionis cum iuſtificatione poſuit in eo, quòd Deus gratiam iuſtificantem non denegat facienti quòd in ſe eſt, ait enim: [l] *Si facit quod in ſe eſt, Deus ei gratiam infundit*; rurſus: *peccat mortaliter ſi non facit quod in ſe eſt ad quærendam ſalutem: ſi autem faciat gratiam conſequetur, per quam immunis erit à peccato originali.* l. ſupra num. 148. Primum teſtimonium eſt ex libris ſententiarum. Secundum teſtimonium ex quæſtionibus diſputatis deſumitur. Vt cognoſcatur, quàm ſibi conſtans fuerit in ea ſententia: tertium dabimus teſtimonium ex Summâ; in qua ait: [m] *Si quidem ſeipſum ordinauerit ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem peccati originalis*; m. ſupra num. 148. puerum ſic ſeipſum ordinantem facere quod in ſe eſt, manifeſtat alterum membrum. *Si verò non ordinet ſeipſum ad debitum finem ſecundùm quòd in illa ætate eſt capax diſcretionis peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt.* Non ordinans ſeipſum non facit quod in ſe eſt; ergo ordinans ſeipſum facit quod in ſe eſt. Non ordinans ſeipſum peccat mortaliter, quia non facit quod in ſe eſt: ergo ordinans ſeipſum conſequetur remiſſionem peccati originalis, quia facit quod in ſe eſt. Quarè conſtans & indubitatum Solis Angelici axioma eſt, *Deum non denegare gratiam iuſtificantem facienti quod in ſe eſt.* Et fundatur in celebri alio ſæpius ex D. THOMA decantato proloquio; *Deum quantum eſt in ſe paratum eſſe dare omnibus gratiam, eoſque ſolos illâ priuari, qui illi impedimentum præſtant.*

CLIX. Nec huic ANGELICO axiomati contrariatur, quòd ipſe D. THOMAS quærens expreſsè in prima ſecundę, [n] *Vtrum neceſſariò detur gratia ſe præparanti ad gratiam, vel facienti quod in ſe eſt?* n. 1. 2. q. 112. a. 3. Reſpondeat, quòd præparatio ſecundùm quod eſt à libero arbitrio nullam neceſſitatem habet ad gratię conſequutionem, & ſecundùm quòd eſt à Deo mouente habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo. *Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt quòd*

 homo,

Digitized by Google

homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur ſecundum illud Ioan. 6. Omnis, qui audiuit à Patre & didicir, venit ad me. Non, inquam, hæc quidquam detrahunt iſti axiomati *Deus non denegat gratiam facienti quod in ſe eſt;* quia non negant connexionem gratiæ cum faciente quod in ſe eſt, ſed cauſam connexionis aſſignat intentionem Dei mouentis, non liberum arbitrium. Vtrumque aſſertum coniungamus, & dicamus, *Quibus Deus intendit dare gratiam, eos mouet ſeu prædeterminat ad faciendum quod in ſe eſt. Quibus non intendit dare gratiam, eos non mouet ad faciendum quod in ſe eſt.* In iſtâ luce verificatur, & quòd Deus non denegat gratiam facienti quod in ſe eſt, & quòd ex intentione Dei mouentis oriatur illa connexio, non ex libero arbitrio. Sic verum ſemper vero conſonat: ſic ab omni *Moliniſmo* expurgatur doctrina ANGELICA; ſic doctrina diſcipuli fit in omnibus doctrina Magiſtri.

Nam vt §. 4. Funiculi ſecundi dictum eſt, veritas doctrinæ AVGVSTINIANÆ ſufficienter ſaluatur cum indigentiâ GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS. Doctrina igitur non ſolùm ANGELICA, ſed & in omnibus AVGVSTINIANA erit, ſi dicatur. Deus eos pueros incipientes ratione vti gratiâ ſuâ VICTRICE & PRÆDETERMINANTE præuenit ad faciendum quod in ſe eſt, quibus gratiam intendit dare iuſtificantem. Quibus verò intendit denegare, eos gratia ſuâ victrice & prædeterminante non præuenit ad faciendum quod in ſe eſt; quos autem non dictâ gratiâ præuenit ad faciendum quod in ſe eſt, illi impedimentum gratię iuſtificanti ponunt, dum ſequentes ſuam concupiſcentiam, in qua enutriti ſunt, ſinunt ſe ab errore regi.

Quid ibi non AVGVSTINIANVM? Quid ibi non ANGELICVM? ſaluatur verbum S. AVGVSTINI dicentis: *cùm cœperit anima capax eſſe rationis aut à ſapiente mente regitur, aut ab errore;* GRATIA VICTRICE faciente quòd à ſapiente mente regatur; iuſtitiâ vindice ordinante quòd ab errore regatur. Saluatur verbum S. THOMÆ aſſerentis: *Præparans ſe ad gratiam faciendo quod in ſe eſt, infallibiliter illam conſequitur:* non quia libero arbitrio determinante diuinam motionem ſe præparat faciendo quod in ſe eſt; ſed quia diuina motione determinante liberum arbitrium ad faciendum quod in ſe eſt ſe præparat.

CLX, Recolenda hìc eſt doctrina TRIVMPHI THOMISTARVM in perpetuum firmati, * in qua omnes *Moliniſtarum* cauilli eliduntur: motio Dei & liberum arbitrium præparant voluntatem, non ſola Dei motio, nec ſolùm liberum arbitrium, ſed motio Dei cum libero arbitrio, & liberum arbitrium cum motione Dei. Nullus ſanę mentis negare id poteſt; nec vllus impugnatorum S. AVGVSTINI id vnquam negauit. Vt ergò S. AVGVSTINVS ſeparetur à ſuis impugnatoribus, vtque vera Chriſti gratia, ab illa quæ non eſt diſcernatur, non ſufficit hoc docere; ſed oportet duos modos operandi diſtinguere, vnus quo motio Dei & liberum arbitrium præparant voluntatem, ita vt motio Dei ſit cauſa, cur liberum arbitrium hìc & nunc præparet voluntatem: alter, quo liberum arbitrium & motio Dei præparant voluntatem, ita vt liberum arbitrium ſit cauſa, cur motio Dei hìc & nunc præpa-

* THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. aduerſus R. P. de *Fourmeſtraux* c. 2.

Digitized by Google

præparet voluntatem. Si primum dicis, gemino Eccleſiæ Soli adhæres; ſi ſecundum impugnatoribus S. AVGVSTINI conſentis: ſi primum confiteris & veram Chriſti agnoſcis gratiam, ſi ſecundum, ipſam ignoras. Primum docens S. THOMAS optimè intulit neceſſariam connexionem gratiæ iuſtificantis cum faciente quod in ſe eſt non oriri ex libero arbitrio, ſed ex motione Dei intendentis dare gratiam. Secundum docens *Molina*, neceſſariam connexionem gratiæ iuſtificantis cum faciente quod in ſe eſt, viribus liberi arbitrij non Dei motioni cogitur adſcribere.

CLXI. Cerne, CORDATE LECTOR, quomodò axioma iſtud in Scholis celeberrimum; *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam*, in vno ſenſu ſit AVGVSTINIANVM & ANGELICVM; in altero ſenſu ſit impugnatorum S. AVGVSTINI & *Molinianum. Si ſeparaueris pretioſum à vili quaſi os meum eris*, dicit veritas: [a] os ergo erimus veritatis, hoc eſt, veritatem loquemur, ſi ſenſum AVGVSTINIANVM & ANGELICVM amplectendo nos ſeparauerimus à ſenſu impugnatorum S. AVGVSTINI & *Moliniano*. Recta iudicate Filij hominum. [b] Recta, inquam, iudicate, qui humano ſpiritu legitis AVGVSTINVM, ſpernentes infuſum ANGELICI Solis lumen; & nunc cernite annon AVGVSTINVS in THOMA legendus ſit? *Si verè iuſtitiam loquimini*, [c] dabit vobis Dominus *panem arctum*, hoc eſt AVGVSTINVM in THOMA contractum & non facietis auolare ab AVGVSTINO vltra Doctorem ſuum. DOCTOR eſt AVGVSTINI S. THOMAS, nec ideò diſcipuli amittens conditionem. Cordatos docet AVGVSTINVM, in eorum intellectu eum quodammodò generans & parturiens. Docere autem non poſſet, niſi priùs didiciſſet. *Si verè iuſtitiam loquimini*, THOMAM reddite AVGVSTINO hoc eſt diſcipulum reddite Magiſtro; & AVGVSTINVM reddite THOMÆ, hoc eſt, occulta gratię enuntiantem, quæ naturam videntur deſtruere, reddite ſuo DOCTORI interpreti gratiam cum naturâ *tutiſſimè & inconcuſsè* concilianti.

a. Hierem. 15.

b. Pſal. 57.

c. Pſal. 57.

CLXII. Qualitas conuerſionis ex *principio eliciente* petenda eſt. In quo amor proportionatur cognitioni, vt ſi cognitio ſit ſupernaturalis ſiue per aliquid viribus naturalibus intellectus ſuperadditum; ita & amor erit ſupernaturalis, hoc eſt, per aliquid ſuperadditum viribus voluntatis naturalibus. Omnis cognitio reducitur ad duas, vel eam, quæ lumine naturali rationis perficitur, vel eam, quam fides reuelat: ſic & omnis amor ad duas reducitur dilectiones, vel eam, per quam ratio operatur, vel eam, per quam fides operatur. Dictum eſt, quòd connexio gratię iuſtificantis cum faciente quod in ſe eſt, non oriatur ex libero arbitrio, ſed ex motione Dei intendentis dare gratiam. Nihil igitur refert ad infallibilem gratiæ conſequutionem, quâ dilectione debiti finis Deus prædeterminet liberum arbitrium ad faciendum quod in ſe eſt. Nam ſi Deus intendens dare huic puero gratiam iuſtificantem prædeterminet illum ad dilectionem debiti finis per quam ratio operatur, non minùs infallibiliter puer iſte conſequetur gratiam iuſtificantem, quam alter puer, quem Deus intendens ei dare gratiam prædeterminaret ad dilectionem debiti finis, per quam fides operatur. Non enim dilectio debiti finis per quam fides operatur habet neceſſariam connexionem cum

Digitized by Google

gratia iuſtificante, niſi ex motione Dei intendentis eam dare : cùm ſimilis dilectio inueniatur in habentibus fidem informem.

g. ſupra num. 148. CLXIII. Docuit hoc Sol Angelicus, dum dixit : g *Si verò non ordinet ſeipſum ad debitum finem ſecundùm quod in illa ætate eſt capax diſcretionis*, *&c.* Quaſi diceret, ſi lumine rationis diſcretionem conſequatur,& non ordinet ſeipſum dilectione debiti finis, per quam ratio operatur, peccabit mortaliter non faciens quod in ſe eſt. Si autem lumine fidei diſcretionem habeat, & non ordinet ſeipſum dilectione debiti finis, per quam fides operatur,peccabit etiam mortaliter non faciens quod in ſe eſt. Quarè obligatio eſt in puero ordinandi ſeipſum ad debitum finem *ſecundum quod in illa ætate eſt capax diſcretionis*, quæ capacitas attenditur penes lumen, quo diſcernit debitum finem. Eo modo quo Deum ſiuè finem debitum cognoſcit, tenetur ſe ad illum conuertere. Nam quod benè notandum eſt, puer non cenſetur vſum rationis habere, vſque dum ſciat diſcernere finem, quem debet amplecti, à fine, quem debet fugere. Si ſolo rationis lumine id diſcernat, ſolo amore naturali ex parte *principij elicientis* conuertet ſeipſum in debitum finem; ſi lumine fidei id diſcreuerit, & amore ſupernaturali tenebitur conuertere ſeipſum in debitum finem. Dixi *amore naturali ex parte principij elicientis*, quia ex parte *principij applicantis* oritur ex motione Dei intendentis dare gratiam; quæ Dei motio eſt GRATIA VICTRIX & PRÆDETERMINANS ordinans dilectionem naturalem in finem ſupernaturalem, vt diximus ſuprà. h

h. Funiculo 2. §. 5.

CLXIV. Vna ſupereſt difficultas, dum diſcretio fit in puero ſolius rationis lumine; quia tunc ſine fide iuſtificatur, cùm tamen ſcriptum ſit, i *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Facilis eſt ſolutio, ſi conſideretur non maiorem fidei neceſſitatem ad placendum Deo poſſe ex prædicto teſtimonio colligi, quàm neceſſitas Baptiſmi ad ſalutem colligitur ex illis verbis; l *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei :* & quàm neceſſitas Euchariſtiæ ad vitam æternam colligitur ex alijs Chriſti verbis : m *Niſi manducaueritis carnem Filij Hominis, & biberitis eius ſanginem, non habebitis vitam in vobis.* Nonobſtantibus iſtis teſtimonijs de baptiſmo & Euchariſtiâ Sol Angelicus cum omnibus Theologis docet ; n *quòd res alicuius Sacramenti haberi poteſt ante perceptionem Sacramenti, ex ipſo voto Sacramenti ſuſcipiendi. Vnde ante perceptionem huius Sacramenti (Euchariſtiæ) poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum : ſicut & ante baptiſmum ex voto baptiſmi.*

i. Hebr. 11.
l. Ioan. 3.
m. Ioan. 6.
n. 3. p. q. 73. a. 3.

CLXV. Similiter in præſenti dico, quòd placere Deo, & iuſtificatio, quæ *res fidei* aliqualiter dici poſſunt, ante fidem habentur ex ipſo voto fidei contento in conuerſione ad debitum finem, quam facit puer ſolo lumine rationis. Vnde ad veritatem Apoſtolici teſtimonij ſicut ad veritatem verborum Chriſti ſufficit, quòd *ſine fide vel fidei voto impoſſibile eſt placere Deo.* Ad euidentiam iſtius voti conſideranda eſt infirmitas humana, quæ, vt dixi ſupra, o non ex ſupernaturalitate principij elicientis cauſatur, ſed ex inſufficientia principij applicantis propter impedimentum concupiſcentiæ præuenientis: quæ inſufficientia tam in principio eliciente naturali, quàm in principio eliciente ſuper-

o. Funic. 2. §. 4 & 5.

Digitized by Google

ſupernaturali inuenitur. Tota hominis infirmi difficultas eſt in abijciendo ſenſibilium delectationes, in quibus primò enutritur, & aſſuefit. Qui propter pręceptum ore Ducis datum, & Regis imaginem colendam abſtraheret ſe ab eo quod diligit, idipſum multò magis faceret propter præceptum ore Regis datum, & propter ipſam Regis perſonam. Quod enim motiuo decem aureorum facimus, hoc indubiè propter centum aureos faceremus.

CLXVI. Præceptum legis naturalis eſt in ordine ad Deum quaſi præceptum ore ducis datum; & iuſtitia, quam ratio dictat, eſt quædam Dei imago & participatio; Præceptum fidei, ſeu legis ſupernaturalis eſt pręceptum ore Dei datum, & iuſtitia, quam fides dictat, eſt Deus in propria perſona. Puer ergo, qui incipiens vti ratione, reuocat ſe à ſenſibilibus vt ſeruet præceptum legis naturalis & inhæreat iuſtitiæ, quam ratio dictat, multò magis reuocaret ſe à ſenſibilibus, Deo obediret & ei adhæreret, ſi hoc foret ei reuelatum. Hanc animi præparationem dicimus quoddam votum fidei implicitum; ſi tamen adiunxeris, quòd fiat ex motione Dei intendentis dare gratiam, ſiuè ex auxilio GRATIÆ VICTRICIS & PRÆDETERMINANTIS: Tunc enim non ex meritis dilectionis, per quam ratio operatur, ſed virtute Dei mouentis puer ille ad fidem ordinatur, eo quaſi modo, quo de pueris dicit D. THOMAS: *p Ex hoc ipſo quòd pueri baptizantur ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam.* Ita ex hoc ipſo, quòd puer faciat quòd in ſe eſt prædeterminatus à Deo intendente ei dare gratiam, ipſa dilectio debiti finis, per quam ratio operatur, ordinatur ad fidem, & eſt quędam virtualis habendi fidem voluntas, propter quam fidem habendam multò magis ſeipſum à delectatione ſenſibilium reuocaret. p. 3. p. q. 73. a. 2.

CLXVII. Quibus omnibus ſoluta manet obiectio ſuprà formata: *q* Puer enim inter infideles natus, qui ſolo fidei voto, ad ſenſum quem diximus, iuſtificaretur; inuincibiliter ignorat ipſam fidem vſquedum de ea aliquid audierit. Vnde qui non iuſtificatur, ſolùm ſuâ culpa caret fidei voto, non ipſâ fide: & ſic remanet infidelis negatiuè. Ecce quam *facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem*: *r* Tota illa difficultas ANGELICÆ doctrinæ, *de obligatione conuertendi ſe ad Deum in primo inſtanti vſus rationis, & de iuſtificatione conuertentis ſe*, quæ diſcipulorum torſit ingenia, remanet euacuata, & (quòd quibuſdam paradoxum reputabatur) DOCTRINÆ AVGVSTINIANÆ indiſſolubiliter coniuncta. Benedictus Deus, qui dedit mihi intellectum. Nec ideò melior ſum. Etenim ſum id quod ſum in oculis Dei, & nihil ampliùs. Pauperem autem in virtutibus & amore Dei me nouit Dominus. Propterea preces CORDATI LECTORIS, cui hæc placebunt, humiliter imploro, vt Deus ſecundùm magnam miſericordiam ſuam det mihi GRATIAM VICTRICEM & PRÆDETERMINANTEM, quâ caſtigem corpus meum, & in ſeruitutem redigam, ne cum alijs concordem SS. AVGVSTINI & THOMÆ doctrinam prædicauero, ipſe concordem eorum charitatem non imitando reprobus efficiar. q. num. 147. r. Eccl, 11.

§. VIII. *Pro-*

Digitized by Google

§. VIII. *Profundiùs & ſubtiliùs memorata ANGELICI Solis doctrina elucidatur.*

CLXVIII. TVtiſſimum & inconcuſſum gemini Eccleſiæ Solis dogma, videlicet, *Deus infundit gratiam iuſtificantem facienti quod in ſe eſt*, duplici ſenſu ex parte *facientis* explicuimus; vno, quo dilectione debiti finis, per quam ratio operatur, facit quod in ſe eſt; alio, quo dilectione debiti finis, per quam fides operatur, facit quod in ſe eſt, & in vtroque ſenſu verificari demonſtrauimus. Nunc duplicem eiuſdem axiomatis ANGELICI ſenſum ex parte Dei infundentis gratiam exponemus. Primus ſenſus eſt, quòd Deus priùs prædeterminet hominem ad dilectionem debiti finis, per quam facit quod in ſe eſt; priùs dico non *tempore*, ſed *naturâ* : Deinde homini diligenti debitum finem, ſeu facienti quod in ſe eſt infundat gratiam iuſtificantem; ita vt infuſio gratię iuſtificantis ſit terminus illius quaſi motus, quo homo diligendo debitum finem facit quod in ſe eſt. Ad illum modum, quo illuminatio eſt terminus motus localis. Fingamus ſolem habere virtutem conuertendi ad ſe faciem ab eo auerſam. Priùs Sol conuerteret ad ſe faciem auerſam, quàm eam illuminaret & motus conuerſionis in facie antecederet lumen in eâ à Sole diffuſum. Ita Deus priùs conuertit hominem à ſe auerſum prædeterminando eum ad faciendum quod in ſe eſt dilectione debiti finis; quàm eum gratia iuſtificante illuminet; & dilectio debiti finis antecedit in homine gratiam iuſtificantem à Deo infuſam. Hic ſenſus planus videtur, nec intellectu difficilis, & ideò plures, etiam in Schola D. THOMÆ, eum amplectuntur, qui volunt dilectionem debiti finis, quæ eſt vltima ad gratiam diſpoſitio, non eſſe à gratia iuſtificante.

CLXIX. Secundus ſenſus profundior eſt & ſubtilior, videlicet, quòd Deus eâdem actione, quâ infundit gratiam, eâdem applicat eam, vt eliciat in libero arbitrio dilectionem debiti finis, per quam facit homo quod in ſe eſt; ita vt ipſum *facere quod in ſe eſt*, ſit effectus gratię iuſtificantis. In priori ſenſu principium eliciens dilectionem eſt liberum arbitrium, vel aliquid ei ſuperadditum, quod à GRATIA VICTRICE prædeterminatur ad dilectionem debiti finis, quam ſequitur gratia iuſtificans. In hoc ſecundo ſenſu principium eliciens dilectionem eſt gratia iuſtificans, quę à GRATIA VICTRICE prædeterminatur ad eliciendum in libero arbitrio dilectionem debiti finis, non quam ſequitur gratia iuſtificans, ſed quę à gratia iuſtificante procedit. Et in hoc ſecundo ſenſu verificatur axioma Angelicum, quòd *Deus det gratiam facienti quod in ſe eſt*, ſicut verificatur quòd *Deus dat GRATIAM VICTRICEM conſentienti.* Nam veluti conſenſus non præcedit GRATIAM VICTRICEM, ſed ab ea infertur & ſine eâ non datur. Ita dilectio facientis quod in ſe eſt, non præcedit gratiam iuſtificantem, ſed ab eâ per GRATIAM VICTRICEM applicatâ infertur; nec ſine gratiâ iuſtificante datur. Et ſimile in ſole foret, ſi ſol non per aliam actionem, ſed per ipſam illuminationem conuerteret ad ſe faciem ab eo auerſam.

CLXX. Hic

Digitized by Google

CLXX. Hic ſecundus ſenſus ANGELICVM ſapit intellectum; Primus autem non videtur D. THOMA dignus, cùm pleriſque eius principijs aduerſetur. A ſecundo incipiemus. Certum eſt quòd Deus poſſit gratiam in primo inſtanti ſuę effuſionis applicare ad eliciendum modo ſibi competenti dilectionem debiti finis in libero arbitrio; ita Angeli, & ipſum Angelorum caput Chriſtus Dominus eam receperunt. Tunc gratia iuſtificans non ſecundùm ſe, ſed modificans motionem Dei prædeterminantem inducit infallibiliter dilectionem debiti finis in libero arbitrio. Aliud ex hoc certo principio non minùs certum ſequitur, nempe, quòd Deus intendens dare gratiam iuſtificantem adulto, & volens vt eam habeat libero arbitrio conuertente ſe in Deum & gratię conſentiente; non neceſſitatur, vt faciat priùs liberum arbitrium ſe in Deum conuertere, & gratię conſentire, ſed poteſt dare gratiam iuſtificantem, quæ modificans Dei motionem inducat liberi arbitrij conuerſionem & conſenſum. Propria liberi arbitrij diſpoſitio eſt conſenſus; ſicut propria ignis diſpoſitio eſt calor. Quomodocumque calor ſit in aliquo ſemper verificatur, quod ſit in illo diſpoſitio ad ignem: ita quomodocumque liberum arbitrium conſentiat gratię, ſemper eſt verum, quòd ſit in libero arbitrio diſpoſitio ad gratiam. Deus ergo dans gratiam iuſtificantem inducentem liberi arbitrij conſenſum, dat gratiam cum ſua diſpoſitione. Excellentior virtus eſt in agente, qui vna actione introducit formam cum ſua conuenienti diſpoſitione, quàm ſit virtus agentis, qui priùs vnâ actione debet diſponere materiam, & per aliam actionem formam inducere. Quapropter manifeſtum eſt hunc ſecundum modum dandi gratiam iuſtificantem, magis attollere diuinam potentiam, quàm primum; & ideò diximus ANGELICVM ſapere intellectum, quem *benè de Deo ſcripſiſſe*, veritas perhibuit.

CLXXI. Primum modum dandi gratiam iuſtificantem pleriſque D. THOMÆ principijs aduerſari non intendimus probare, ſed ſolùm manifeſtare principia, quibus aduerſatur: eorum probationem reſeruantes in libris *de Pœnitentia*, quos modò concepimus, & dum Deo placuerit, parturiemus. Principium D. THOMÆ eſt, quòd vltima diſpoſitio neceſſitans ad formam ſit à forma. Quod diſpoſitio antecedens coniungatur formę eſt per accidens, quia ſcilicet cum tali diſpoſitione non ſtat ſubiectum. v. g. *calor vt duo* in ſtuppâ infert formam ignis, quia ſtuppâ corrumpitur cum tali calore, & cùm materia ſtuppę non poſſit eſſe ſine forma, ſuccedit forma ignis. Si *calor vt duo* ponatur in ligno viridi non ſequetur forma ignis, eſt ergò per accidens coniunctus formę ignis. Sic omnis dilectio antecedens gratiam iuſtificantem per accidens ei coniungitur; non poteſt ergo eſſe vltima diſpoſitio, quę eſt neceſſitas ad gratiam, niſi infringatur prædictum principium.

Secundum Principium apud D. THOMAM indubitatum eſt, quòd ille actus, qui in inſtanti infuſionis gratiæ eſt vltima ad gratiam diſpoſitio, ſit etiam meritorius gloriæ & gratiæ augmenti. Quòd non poteſt ſtare ſecundùm primum modum dandi gratiam iuſtificantem, quę eſt omnis meriti principium.

Tertium ANGELICI Solis datur principium, cum quo componi non poteſt primus modus dandi gratiam iuſtificantem. Docet D. THOMAS quòd

ſine

Digitized by Google

ſine gratia iuſtificante peccatum non remittitur, nec quidem de potentiâ abſolutâ. Suſtineri hæc doctrina non poteſt, ſi detur aliqua dilectio, ſeu conuerſio, quæ non ſit à gratia iuſtificante, ſed ad quam gratia iuſtificans infallibiliter ſequitur. Ratio eſt manifeſta. Dilectio, ſeu conuerſio, ad quam infallibiliter ſequitur gratia iuſtificans, eſt ex naturâ ſuâ incompoſſibilis cum peccato mortali, vt manifeſtum eſt in via D. THOMÆ aſſerentis incompoſſibilitatem gratiæ iuſtificantis cum peccato mortali: ergo & principium illius dilectionis erit incompoſſibile cum peccato mortali: ſiquidem Thomiſtis notum eſt nihil haberi in effectu, quod non præcontineatur in cauſa, iuxta illud tritum, *nemo dat quod non habet*; quod igitur non habet incompoſſibilitatem cum macula peccati mortalis, non poterit illam dare ſuæ actioni. Neceſſarium eſt igitur, quòd dilectio habens incompoſſibilitatem cum omni macula peccati mortalis oriatur à principio aliquo habente huiuſmodi incompoſſibilitatem: quod principium eo ipſo erit iuſtificans gratia.

CLXXII. Quæ ratio efficaciſſimè probat nullam poſſe dari dilectionem remiſſiuam peccati, niſi oriatur ex principio remiſſiuo peccati, quod dicimus eſſe gratiam iuſtificantem. Subtilitate Angelicâ id penetrans D. THOMAS non alio dolore aſſeruit remitti peccatum ſine Sacramento, quàm eo, qui à gratia Sanctificante cauſatur: Omnem verò alium dolorem, ſicut & omnem amorem antecedenter ad gratiam iuſtificantem, poſſe cum macula peccati mortalis componi. Quod facillimè concipies, ſi aduerteris, eumdem ſpecie amorem, qui cauſatur à gratia iuſtificante, poſſe effici ſine gratia iuſtificante: ac proinde duo iſta, *incompoſſibilitas cum macula peccati mortalis, & ratio merendi* nulli amori competunt ex ſua ſpecie, ſed cuilibet amori in ſua ſpecie, iſta duo accidunt, ſicut calori in ſua ſpecie accidit eſſe carnis productiuum. Cum quo ſtat, quòd ſicut calori provt eſt dimanans ab anima per ſe competit eſſe carnis productiuum: ita amori debiti finis provt eſt à gratia iuſtificante per ſe competit eſſe remiſſiuum peccati & eſſe meritorium.

Amor autem iuſtitiæ ſiuè debiti finis, ex ſua ſpecie habet quòd ſit diſpoſitio ad gratiam; ſicut calor ex ſua ſpecie habet quòd ſit diſpoſitio ad ignem. Nam ex tendentia in obiectum habet amor quòd ſit diſpoſitio ad gratiam; ſi tendat in obiectum ſupernaturale eſt diſpoſitio per ſe, proportionata, & eiuſdem ordinis: ſi verò tendat in obiectum naturale eſt diſpoſitio per accidens, id eſt remouendo prohibens, improportionata, & inferioris ordinis, ſicut mollities in cerâ eſt diſpoſitio ad figuram artificialem candelę. Quantumcumque mollificata fuerit cera nullam tamen habet neceſſitatem, aut debitum ad figuram artificialem, ſed ipſa cera adhuc mollificata remanet in potentia obedientiali ad formam candelæ. Verùm provt mollities illa inducitur ab artifice, eam neceſſitatem ad formam candelę habebit, quam ipſe artifex voluerit. Sic eſt de actibus naturalibus, qui non extrahunt ſubiectum de potentia obedientiali ad gratiam iuſtificantem, ſed ſolùm eam habent cum gratia iuſtificante connexionem, quàm Deus ipſe voluerit. At actus ſupernaturales extrahunt ſubiectum de potentialitate obedientiali ſicut diſpoſitiones naturales faciunt quòd ſubiectum non ſit amplius in pura potentia ad formam naturalem.

CLXXIII. Ex

Digitized by Google

CLXXIII. Ex his omnibus *colliges primò* mutuam gratiæ, & actuum, qui ſunt ab illa in inſtanti ſuę infuſionis dependentiam; ſecundùm quam ſubtiliter, profundè, & cum fundamento in re Schola ANGELICA diſtinguit diuerſas in diuerſo genere cauſę prioritates. Non enim aliud eſt prioritas naturę, quàm realis dependentia. Illud à quo aliquid dependet realiter in genere cauſę materialis, dicitur provt fundat huiuſmodi conceptum, prius in iſto genere eo, quod dependet; & ſic in alijs cauſarum generibus. Actus liberi arbitrij habent ex ſuâ ſpecie quòd ſint diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, vt dictum eſt, non à gratia iuſtificante, à qua tamen habent exiſtentiam, dum ab illâ procedunt. Quarè in ſuo *eſſe*, non verò in eo quòd *diſpoſitiones ſunt*, dependent realiter à gratia iuſtificante; quæ dependentia eſt in genere cauſę formalis, efficientis, & finalis; propterea in triplici illo genere cauſæ dicitur gratia iuſtificans, eiuſque infuſio prior motibus liberi arbitrij, qui ſunt ab eâ.

Nullam video implicantiam cur Adulto peccatori ſine vllo eius actu non poſſit infundi gratia iuſtificans, quę tollat omnem peccati maculam, cùm iſta gratia ſit quædam virtualis conuerſio in Deum, id eſt, præhabens omnem actualis conuerſionis perfectionem, quę nonniſi vt eſt à gratiâ iuſtificante habet eſſe remiſſiuam peccati. Verumtamen natura habentis actus ſui dominium, exigit connaturaliter, vt nihil de ipſo diſponatur, niſi ipſo conſentiente. Quod ſi ipſo diſſentiente fiat, vertitur ipſi in pœnam. Quarè vſque dum liberum arbitrium ſuis actibus gratiæ iuſtificanti conſentiat, ipſa non exiſtit connaturaliter in habente liberum arbitrium, nec ſuauiter à Deo infunditur. Ad hoc igitur, quòd gratia iuſtificans recipiatur connaturaliter ab habente liberum arbitrium, & ſuauiter à Deo infundatur, dependet realiter ab actibus liberi arbitrij, quæ dependentia, cùm ſit in recipi, eſt in genere cauſæ materialis, propterea actus liberi arbitrij in illo genere cauſæ dicuntur priores gratiâ iuſtificante connaturaliter receptâ, & ſuauiter infuſâ: ſed de his latiùs in libris *de Pœnitentia*.

Colliges ſecundò optimè diſtinxiſſe TRIVMPHVM THOMISTARVM *a* duas ad iuſtificationis gratiam diſpoſitiones in eo, quòd ea quæ ſine Sacramento ſufficit, procedat à gratiâ ſanctificante; quæ verò cum Sacramento, & non ſine illo, ſufficit, procedat à ſolo auxilio GRATIÆ VICTRICIS ET PRÆDETERMINANTIS antecedenter ad gratiam. Nam per illam diſpoſitionem, quæ eſt à ſolo GRATIÆ VICTRICIS auxilio, homo non facit quod in ſe eſt: quia ad hoc requiritur, vt omne quod debet faciat; debet autem non tantùm actuales affectus ſed etiam omnes habituales Deo vt vltimo fini ſubijcere; ſiuè quod idem eſt, debet non ſolùm in voto & deſiderio, ſed reipsâ præferre Deum omnibus. Actus procedens à ſolo GRATIÆ VICTRICIS auxilio, ſolos affectus actuales ſubijcit Deo & ſolùm in voto & deſiderio, nondum verò reipsâ præfert Deum omnibus. Propter quod nullam habet cum gratia iuſtificante connexionem, niſi eam, quam dederit ipſi Sacramentum. Conſule TRIVMPHVM.

a THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 4. *de Contritione* cap. 2. §. 5. & c. 5. §. 6.

Digitized by Google

ALTERA PARS FVNICVLI TERTII.

De Fouea Molinæ.

§. IX. *Quâ ratione in eamdem cum MOLINA foueam ceciderit* IANSENIVS?

CLXXIV. TRanſiuimus per ignem *Baij* à quo ſpreto lumine ANGELICO læſus fuit IANSENIVS. Tranſeamus & nunc per turbidam aquam *Molinæ*, quam ex parte hauſit IPRENSIS EPISCOPVS. Doctrinam *Baij* comparamus igni; quia credens *Baius* ſe S. AVGVSTINO conſentire, aliquid luminis AVGVSTINIANI in eo remanſit, & illius, quod non habuit, inuoluntaria fuit carentia. Doctrinam *Molinæ* aſſimilamus aquę, non criſtallinæ, ſed turbidæ: eò quòd *S.* AVGVSTINVM in tenebris ambulaſſe credens voluntariè à tanto Sole receſſit; ex quo tenebræ factæ ſunt ei tota S. AVGVSTINI, de gratiâ Doctrina. Vndè turbidam *gratiæ ſufficientis nullo vlteriori auxilio indigentis* aquam potauit de vaſibus impugnatorum, vt in COLLATIONIBVS ALPHABETICIS demonſtrat GERMANVS PHILALETHES. [a]

Concordiam gemini Eccleſiæ Solis circa gratiam Chriſti, & libertatem arbitrij per multa ſæcula receperant vnanimiter Theologi. Vnus *Molina* fecit confuſionem in domo Sapientiæ. Etenim S. AVGVSTINVM, cuius ore gratiam Chriſti prædicabat Eccleſia Catholica, deſeruit, vt proprias ſequeretur adinuentiones; quas, non ego, ſed de Societate quidam *heſterna* vocat *Ludouici Molinæ commenta*. Vide TRIVMPHVM THOMISTARVM, [b] qui hanc nouitatem tam efficaciter perſequitur, vt Corollarium inde deducat à nullo *Moliniſta* huc vſque infirmatum, nec vnquam infirmandum. Vide & illius de *Scientia Media* elogium. [c] Nec non quis ſit ille de Societate, qui memorato inſigniuit eam titulo. [d]

a. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. cap. 6. Aduerſus R. P. de *Fourmeſtraux.* & *Iuniorem Moliniſtam.*

b. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. cap. 2. a. 2. §. vlt.

c. ibid. num. 188.

d. num. 21.

CLXXV. A temporibus igitur *Molinæ* GRATIA AVGVSTINIANA vim patitur. Nam à cæteris Theologis diuiſerunt ſe *Moliniſtæ* negantes gratiam de ſe efficacem, & quamdam *gratiæ verſatilis* ſufficientiam nullo vlteriori auxilio indigentis, in cœlum vſque ad inſtar Babylonicæ turris ædificare molientes. Cæteri verò Theologi iſtam *Molinæ* ſufficientiam vt nouam, & gratiæ Chriſti inimicam explodunt; & GRATIAM DE SE EFFICACEM tamquam veram Chriſti gratiam à S. AVGVSTINO contra Pelagianos per viginti annos glorioſè propugnatam, [d] ab Eccleſia Catholica receptam, & à Decreto Innocentij X. vt ipſemet declarauit, illæſam confitentur, & intrepidè annuntiant.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. n. 131.

Medium ſe ſtatuit IANSENIVS. Cum *Moliniſtis* gratiam verſatilem nullo vlteriori auxilio indigentem in Angelis & in naturâ ſanâ defendit. Cum cæteris Theologis gratiam de ſe efficacem in natura infirma propugnat: in quo coniungens AVGVSTINVM THOMÆ mirabilem ſe præbuit, at vbi AVGVSTI-

Digitized by Google

GVSTINVM à ſcuto ſuo inexpugnabili ſeparauit, vertens terga THOMÆ, ad caſtra confugit *Molinistica.* Vnde neceſſe fuit, vt in eamdem cum *Molina* foueam caderet. O humani ſtudij ſine præſidio Solis ANGELICI, infirmitas! Sępè mihi mirabundus adſtiti, quomodò in virum principijs AVGVSTINIANIS enutritum, & quotidie libros S. Doctoris magno labore euoluentem *Scientia media* eiuſque fœtus, *gratia verſatilis* cadere potuerint.

CLXXVI. Dixit mihi Spiritus meus, Quid miraris? ANGELICAM non cognouit litteraturam, neque introiuit in potentias Domini. Nam ſi in potentias Domini introiſſet, omnipotentiſſimam humanorum cordium inclinandorum quocumque Deus voluerit poteſtatem, quam toties decantat S. AVGVSTINVS, ad omnes actus bonos cuiuſcumque ſtatus extendiſſet, nec vnquam *Scientiæ Mediæ* dediſſet locum, ſiquidem hæc Scientia nullum vſum habere poteſt, vbi totum,quod mouetur, ſubditur poteſtati mouentis. Quod ex ipſa *petra ſcandali* euidens facio. Quatuor iſta S. AVGVSTINI verba, *Angelus ſtetit per liberum arbitrium*, fuerunt IANSENIO *petra ſcandali*, hoc eſt ſeparationis S. AVGVSTINI à S. THOMA, vt norunt Cordati. Si *ad ſtandum per liberum arbitrium* Angelus totaliter ſubditur poteſtati diuinę, nec aliquid ſit in Angelo ad hoc requiſitum, quod poteſtas diuina non efficiat; certum eſt quòd Deus nulla prçcedente ſcientia exploratrice ab ęterno efficaciter decreuerit, quòd *Angelus ſtet per liberum arbitrium*, & ex iſta voluntate poſuerit in tempore quidquid requiritur, vt *Angelus ſtet per liberum arbitrium.* Si autem Deus non poſſit ab æterno efficaciter id decernere, niſi exploratrix prçcedat ſcientia, euidens eſt, aliquid eſſe requiſitum *ad ſtandum per liberum arbitrium*, quod poteſtas diuina non efficiat. Quarè manifeſtum eſt, non introiſſe IANSENIVM in potentias Domini, dum *Scientia media* in Angelis & in naturâ ſanâ parauit locum. Vrget hoc argumentum TRIVMPHVS THOMISTARVM, [c] & ita fortiter, vt aduerſarij mei, *Iunior Moliniſta*, & R. P. *de Fourmeſtraux* ad illud obmutuerint, non habentes quid ſolidè reſponderent.

CLXXVII. Nec vnquam *gratiam verſatilem* admiſiſſet IANSENIVS, ſi ANGELICAM cognouiſſet litteraturam. Nam motionem Dei prædeterminantem vidiſſet multifariam, multiſque modis ſecundùm vniuſcuiuſque exigentiam attemperari. Ex quo duplicem agnouiſſet GRATIAM DE SE EFFICACEM; vnam præſeruantem, quæ naturam ſanam facit ſtare per liberum arbitrium; aliam ſanantem, quæ naturam infirmam facit ſtare per ſpeciale Dei auxilium. Quâ diſtinctione ex S. Fulgentio ſuperiùs n. 66. deſumptâ totaliter excluditur *gratia verſatilis*; & AVGVSTINVS inſolubili nexu THOMÆ coniungitur. Vide TRIVMPHVM THOMISTARVM *de Scientia Media ad examen reuocata*, [d] eumdemque aduerſus R. P. de FOVRMESTRAVX in perpetuum firmatum. [e]

Quid opus erat propter quatuor S. AVGVSTINI verba, recedere à manifeſtiſſimis & indubitatis fulgentiſſimi Eccleſiæ Solis principijs. Tria adducit THOMISTARVM TRIVMPHVS, [f] quorum primum eſt efficacia diuinæ voluntatis, de qua S. AVGVSTINVS ſic loquitur. [g] *In eius voluntate ſumma poteſtas eſt, qui creatorum Spirituum voluntates bonas adiuuat, malas iudicat,*

c. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. de *Scientia Media ad examen reuocata.* cap. 1. a. 1. & 2.

d tom. 1. c. 2. a. 1.

e. tom. 3. cap. 3.

f. tom. 1. c. 1. a. 5.

g. lib. 5. de Ciuitate Dei c. 9.

Digitized by Google

omnes ordinat .... Omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt; cui etiam voluntates omnes ſubijciuntur, quia non habent poteſtatem niſi quam ille concedit ...... Quapropter & voluntates noſtræ tantùm valent, quantum Deus valere VOLVIT ATQVE PRÆSCIVIT: & ideò quidquid valent certiſſimè valent: & quod facturæ ſunt, ipſæ omninò facturæ ſunt: quia valituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. Quapropter ſi mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eam habet in poteſtate, quam illo cauſarum ordine, quem non vſitato, ſed ſuo more Stoici fatum appellant, arbitrium noſtræ voluntatis auferri.

Applicentur verba AVGVSTINIANA Angelorum perſeuerantię. Poteſtatem *ſtandi per liberum arbitrium* non aliam habent Angeli, niſi quam Deus concedit. Et poteſtas iſta tantùm valet, quantùm Deus valere voluit atque præſciuit: & ideò *ſtabunt Angeli per liberum arbitrium*, & certiſſimè ſtabunt, quia hoc eos valituros atque facturos Deus voluit atque pręſciuit. Quapropter ſi fati nomen placeret, fatum *perſeuerantiæ Angelorum per liberum eorum arbitrium.* S. AVGVSTINVS diceret eſſe decretum diuinum, quo habens Deus Angelorum voluntatem in ſua poteſtate ab æterno prædeterminauit eos *ad ſtandum per liberum arbitrium.* Nonne ab iſta fulgentiſſima luce diſcedit, qui ad *Scientiam mediam, gratiamque verſatilem* ſe conuertit?

CLXXVIII. Secundum principium, quod deſerere debent *Scientiæ mediæ*, & *gratiæ verſatilis* aſſertores in Angelis, eſt cauſalitas diuinæ ſcientiæ: quam ſic exprimit S. AVGVSTINVS: *b Vniuerſas creaturas ſuas ſpirituales aut corporales, non quia ſunt ideò nouit Deus: ſed ideò ſunt quia nouit. Non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus: quia ergo ſciuit creauit, non quia creauit ſciuit.* Non quia *ſtabunt Angeli per liberum arbitrium*, ideò nouit Deus: ſed ideò *ſtabunt Angeli per liberum arbitrium*, quia id nouit Deus. Non enim neſciuit quod fuerat facturus: quia ergo ſciuit, fecit Angelos *ſtare per liberum arbitrium*, non quia id fecit, ſciuit. Nihil capitalius aduerſus *Scientiam mediam & gratiam verſatilem* dici poteſt.

b. lib. 15. de Trinit. c. 13.

Tertium denique principium, à quo recedunt Aduerſarij, eſt maxima illa S. AVGVSTINI: *i Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt niſi adiuuetur ab omnipotente bono.* A quâ definitione ſubtrahi non poteſt liberum arbitrium Angelorum, quandoquidem & ipſe AVGVSTINVS eam extendat ad liberum arbitrium Adami, cuius eſt cum Angelis compar ratio. *Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum in ipſo Adam demonſtratum eſt, ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non niſi adiuuetur à Deo.* Hæc S. AVGVSTINVS, *l* qui & de Angelis idem prorſus aſſeruiſſet. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum in ipſis Angelis malis demonſtratum eſt, ad malum, ſiuè ad *non ſtandum* ſufficit ſibi, ad bonum ſiuè *ad ſtandum* non niſi adiuuetur à Deo. Defuit ergo Adamo & Angelis aliquod auxilium, quo ſi adiuti fuiſſent, ſtetiſſent. Nullum auxilium *ſine quo* defuit eis, ergo auxilium *quo*, hoc eſt, GRATIA DE SE EFFICAX.

i. lib. de corrept. & grat. c. 11.

l. tract. de cantico nouo c. 8.

CLXXIX. Agnoſcant hìc Aduerſarij ANGELICI Luminis defectum. Sine lumine Angelico multa, quæ dixit S. AVGVSTINVS, ſuſtineri non poſſunt.

Cum

Digitized by Google

Cum lumine Angelico nihil à S. AVGVSTINO dicitur, quod à D. THOMA non aſſeritur: Tres memoratas veritates dixit S. AVGVSTINVS, aſſerit & D. THOMAS. Dixit S. AVGVSTINVS *Angelum ſtare per liberum arbitrium*, idipſum aſſerit & D. THOMAS. Iudica, CORDATE LECTOR, quis fidelior S. AVGVSTINI diſcipulus? quis Magiſtri mentem ſolidiùs & tutiùs penetrauit, an D. THOMAS cum lumine infuſo? an *Ianſenius* cum humano ſtudio? Dixit Magiſter LVNA ſe malle cum S. AVGVSTINO Scientiam Mediam ignorare, quàm eamdem cum *Molina* tenere. Dicam & ego (nec veritatem diſplicebit amanti) malo ignorare quæ de AVGVSTINO ignorauit D. THOMAS, quàm ea ſcire, quæ de AVGVSTINO ſe ſcire ſpreto ANGELICO lumine putauit IANSENIVS.

Plus dixit eximius Eſtius, [l] qui & ipſi AVGVSTINO comparans THOMAM, & quidem in materia gratię, audacter dicit: *Quòd ſi nihilominus adhuc contendat aliquis AVGVSTINI verba, quæ obiecta ſunt, huc inflecti non poſſe, putetque eum reuerà alterius eſſe ſententiæ: tum reſpondebimus ea quæ de adiutorio primi hominis & Angelorum obſcuriùs, & vt videtur, extra Scripturæ authoritatem ab illo diſputata ſunt ad hoc, vt ex eâ comparatione gratia noſtra per Chriſtum reparationis magis emineret, non debere præiudicare doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipſumque S. THOMAM IN HVIVSMODI REBVS EXACTISSIMVM DOCTOREM expreſſior reperitur: maximè propter rationes in eam partem grauiſſimas, & vt nobis videtur inſolubiles, & clarè in Scripturâ fundatas.* Hæc præclarum Vniuerſitatis *Louanienſis* ornamentum, & nobile *Duacenæ* principium. Nos autem credimus, ne latum vnguem D. THOMAM ab AVGVSTINIANA recedere doctrinâ; ſed ex illâ & cum illâ plus aliquid ſapuiſſe.

[l] *l.* 1. Sent. diſt. 41. §. 14.

§. X. *Argumentis ad hominem factis probatur caſus IANSENII in foueam MOLINÆ.*

CLXXX. PRæclarè, fortiter, & inuictè vrget IANSENIVS *Moliniſtas* in eo quòd ſi gratia per Chriſtum data ſit *verſatilis*, tunc homo haberet aliquid à Deo non datum in quo ſe diſcernere, & gloriari poſſet: quodque in Deum referre non deberet, nec de eo gratias agere. Quis non videt in eamdem foueam cecidiſſe IANSENIVM? Nam ſi contra *Moliniſtas* efficaciter concludit, & contra ipſum efficaciter concluditur Angelum habere aliquid, à Deo non datum, in quo ſe diſcernere & gloriari poteſt; quodque in Deum referre non debet, nec ei gratias de illo agere, ſi gratia Angelo data ſit *verſatilis*.

Quæ certè aliena omnino ſunt à mente S. AVGVSTINI, qui ne quidem Chriſtum Dominum vult habere aliquid à Deo non datum, in quo gloriari poſſet, vt ſuprà [m] vidimus. Non fuit liberum arbitrium maioris in Angelo, quam in Chriſto poteſtatis. Si S. AVGVSTINVS *gratiam verſatilem* excluſit à Chriſto: ergo multò magis eam excluſit ab Angelo. Si ſine *gratia verſatili* per liberum arbitrium Chriſtus ſtetit vſque ad mortem, mortem autem

[m] *m.* num. 68.

Digitized by Google

crucis, quidni ſine *gratia verſatili* Angelus ſteterit per liberum arbitrium? Et ſi GRATIA DE SE EFFICAX non obſtitit Chriſto, quin ſtaret per liberum arbitrium *ponendo animam ſuam ad nutum propriæ voluntatis*, cur eadem gratia obſtaret Angelo ad ſtandum per liberum arbitrium? *Recta indicate Filij hominum.*

CLXXXI. Alio ſolet argumento premere *Moliniſtas* deſumpto ex verbis S. AVGVSTINI Impugnatores ſuos redarguentis in hunc modum: n *Quapropter niſi obtineamus non ſolùm voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & malè vti malus poteſt: ſed etiam voluntatem bonam, quæ iam in eis bonis eſt, quorum eſſe vſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodùm defendamus quod dictum eſt.* Quid enim habes quod non accepiſti? *Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona vel mala: bona verò voluntas ex nobis eſt: MELIVS EST ID QVOD A NOBIS, QVAM QVOD AB ILLO EST. QVOD SI ABSVRDISSIME DICITVR, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos diuinitùs adipiſci......*

n. De peccator. merit. lib. 2 c. 18.

Si hac ſolidiſſimâ S. AVGVSTINI ratiocinatione vult IANSENIVS deſtrui *gratiam verſatilem* in hominibus, cogitur & concedere eamdem deſtrui in Angelis. Nam vis ratiocinationis AVGVSTINIANÆ conſiſtit in hoc, quòd ſola poteſtas, quæ indifferens eſt ad bonum vel malum vſum, ſiuè quod idem eſt, cum quâ poteſt componi vel bonus, vel malus vſus tribuatur Deo, ipſe verò bonus vſus ſit ex nobis. Cùm actus ſecundus ſit melior, quàm actus primus, ſequitur melius eſſe id quod à nobis, quàm quòd à Deo eſt: quod abſurdiſſimè dicitur. Qui S. AVGVSTINI diſcurſus ipſam *gratiæ verſatilis* naturam & eſſentiam impetit. Vnde nihil refert in quâ creaturâ ſit. *Gratiam* dicimus *verſatilem*, eam cum qua pro nutu voluntatis poteſt componi, vel bonus vel malus vſus. In quacumque creatura ſit talis gratia à Deo data, nonniſi poteſtas data eſt, bonus vſus ex arbitrio recipientis eam procedit. Ergo in quacumque creatura fuerit, melius erit id quod à libero arbitrio, quàm quod à Deo eſt, quod abſurdiſſimè dicitur. Cernis, CORDATE LECTOR, quomodò in eamdem cum *Molina* foueam ceciderit, qui dicitur in AVGVSTINO oculatiſſimus. Si tantus vir defectu luminis ANGELICI cecidit, quis deinceps præſumet ſine infuſo AQVINATIS Lumine euoluere AVGVSTINVM?

CLXXXII. Non conſiderauit cum D. THOMA duplicem liberi arbitrij in hominibus defectum. Vnum homini infirmo ſpecialem, qui ex præueniente oritur concupiſcentia; alium omni habenti liberum arbitrium ex NIHILO communem. Quemadmodùm natura rationalis creata ſe habet ad *eſſe*; ita liberum eius arbitrium ſe habet ad bonum. A quo habet vt ſit, ab eodem habet vt benè ſit. Ab alio accipit eſſe, ab alio etiam accipit benè eſſe; ex ſeipſa ad nihil tendit, & liberum arbitrium ex ſeipſo ad malum tendit: ſiquidem non tendere ad bonum, malum ei eſt.

o. num. 181. *Quis verò dubitet dicere*, ait S. AVGVSTINVS loco citato, o *voluntatem nullo modo iuſtitiam diligentem, non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem?* Quarè omni creaturæ rationali & quoad *eſſe*, & quoad *benè eſſe* com-

competit nihil habere quod non acceperit, & ipſi in nullo eſſe gloriandum. Quod non ſufficienter attendiſſe videtur IANSENIVS; eſt tamen S. AVGVSTINI neruosè de omni homine id pronuntiantis : [b] *Qui gloriatur, non niſi in Domino glorietur, cùm cognoſcit non ſolùm ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm vt ſit; verùm etiam vt non niſi ab illo benè ſibi ſit, à quo habet vt ſit.* Quæcumque ergo S. AVGVSTINVS aſſumit argumenta ex illo PAVLI, *quid habes quod non accepiſti?* &c. non concludunt gratiæ indigentiam in libero arbitrio quà infirmum eſt, ſed quà creatum eſt. Ea verò, quæ aſſumit ex defectu poteſtatis, concludunt orationis ad ſenſum S. AVGVSTINI ſumptę indigentiam in libero arbitrio, quà infirmum eſt, non quà creatum eſt; vt ſuprà notauimus. [c]

b. de Geneſ. ad litt. lib. 11. c. 8.

c. num. 68.

Clara eſt iſta diſtinctio, & mirabiliter illuminans tenebras noſtras : quam tamen IANSENIVS ſuo viginti annorum ſtudio, ſummoque & natiui & acquiſiti luminis conatu non penetrauit, defectu luminis ANGELICI. Non per oſtium intrauit in cubile ſapientię AUGUSTINIANÆ. Oſtium eſt D. THOMAS. Agant Deo gratias, qui hoc cognouerunt. Ingens eſt Dei beneficium in doctrina D. THOMÆ erudiri. Qui hoc non capiunt, orent vt intelligant. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* [d]

d. Matth. 7.

CLXXXIII. In mirabili laudatæ diſtinctionis atque comparationis lumine conſiderandum eſt, quòd licet Angeli ex carentia materiæ dicantur incorruptibiles quoad ſuum eſſe; quia tamen ex nihilo ſunt, indigent perpetuò à Deo conſeruari, non ſecùs ac lumen in aëre. Iſtam indigentiam habent & omnia materialia, ſed ſuperaddunt aliam; ſiquidem præter communem conſeruationem, multis alijs & intus & extra indigent, vt conſeruentur. Sic de libero arbitrio diſtinguendum eſt. Datur liberum arbitrium in Angelo ſine defectu poteſtatis, nulla enim actio tam bona eſt, quam non habet in ſua poteſtate ſiuè naturali, ſiue ſupernaturali : Indiget tamen communi Dei motione, ſine quâ nulla creata actio, nulluſque perficitur motus. Hoc breuiter expreſſit TRIVMPHVS THOMISTARVM dicens, [e] *eſt in natura ſana poteſtatis dependentia, non indigentia.* Quæ dependentia in hoc conſiſtit, quid ſicut per conſeruationem omni tempore accipit eſſe, ita per communem Dei motionem præuenientem in omni ſua actione bona accipit bonitatem. Liberum autem hominis infirmi arbitrium, vltra dependentiam poteſtatis à communi Dei motione omnes actiones creatas prædeterminante, habet ex ſua infirmitate defectum alicuius poteſtatis; eſt enim in eo dicit TRIVMPHVS, *non ſolùm poteſtatis dependentia, ſed etiam poteſtatis indigentia.* Vnde non ſolùm indiget auxilio communi dante actum, ſed inſuper opus habet auxilio dante & confortante ipſum poſſe.

e. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. cap.

CLXXXIV. Quicumque ſuper hæc ſolo veritatis amore præoccupatus mentis ſuæ reflexerit oculos, videbit non ob aliud cecidiſſe IANSENIVM in foueam *Molinæ*, quàm quòd ſolùm infirmitatis defectum attenderit, quem magnificè pertractaſſe non diffiteor. Verùm ſi ad communem *ex nihilo* defectum conuertiſſet & alterum oculum, legiſſet in S. AVGVSTINO naturam ſanam non *gratiâ verſatili*, ſed GRATIA DE SE EFFICACI adiuuandam, cuius diſtinctione, non negatione THOMAM AVGVSTINO copulaſſet. Negari non po-

Digitized by Google

poteſt S. AVGVSTINVM docuiſſe Angelos creatos fuiſſe in bonâ voluntate, hoc eſt, libero arbitrio dilexiſſe Deum ſuper omnia in primo ſuæ creationis inſtanti. Demus verba S. AVGVSTINI. *f Et iſtam quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creauit ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? vnde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam Angelos fuiſſe, credendum eſt.* Quam, amabo, gratiam largitus eſt Angelis condens naturam? dicetne IANSENIVS, *verſatilem*, contradicit S. AVGVSTINVS, qui paucis interiectis ſubdit: *Confitendum eſt igitur cum debita laude creatoris, non ad ſolos Sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quòd* charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis: *nec tantum hominum, ſed primitùs, præcipuéque Angelorum bonum eſſe, quod ſcriptum eſt:* Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Amor qui per Spiritum Sanctum datur, non poteſt procedere à *gratia verſatili*: quia, vt eleganter & inuictè probat laudatus EPISCOPVS, amor, quem efficit *gratia verſatilis*, non Deo donante, ſed libero arbitrio & Deum, & ſeipſum determinante efficitur.

f. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9.

CLXXXV, Quarè non poteſt niſi ſibi contradicendo, & fundamentum nobiliſſimi ſui contra *Moliniſtas* ædificij totaliter deſtruendo, negare IANSENIVS amorem illum caſtum (quo, vt primùm facti ſunt Angeli, adhæſerunt ei, à quo facti ſunt) proceſſiſſe ex GRATIA DE SE EFFICACI. Quo poſito indeclinabiliter ſequitur, nec ſine GRATIA DE SE EFFICACI potuiſſe in illo amore permanere, AVGVSTINO de natura ſana aſſerente: *g Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret.* Quæ verba de fide ſunt, cùm tranſierint in canonem 19. Concilij Arauſicani: ac proinde maioris ſunt roboris & authoritatis, quàm iſta quatuor: *Angelus ſtetit per liberum arbitrium* ſiuè, quod idem eſt, natura integra ſtat per liberum arbitrium. Si quę igitur ſit in poſterioribus verbis obſcuritas atque difficultas, debet per priora explicari & regulari.

g. Epiſt. 106. ad Paulinum.

Ponderemus priora verba. Conſeruatio ſeu permanentia, nihil eſt aliud, quàm continuata rei productio, vt conceditur ab omnibus. Vnde permanere in amore ſancto, eſt continuata amoris ſancti productio. Ijſdem ergo auxilijs, quibus Deus produxit amorem ſanctum in Angelis, ijſdem eum continuat & conſeruat. Atqui auxilio GRATIÆ DE SE EFFICACIS, non auxilio *gratiæ verſatilis* produxit Deus amorem ſanctum in Angelis: Igitur auxilio GRATIÆ DE SE EFFICACIS non auxilio *gratiæ verſatilis* eumdem amorem Deus continuat & conſeruat; ſicut eodem principio conſeruat Sol lumen in aëre, quo illud produxit. Maiorem natura conſeruationis euidentem facit. Minorem cogitur Fateri IANSENIVS, vt vidimus. Ergò & conſequentiam, quæ bona eſt, & optima.

CLXXXVI. Præterea, ſi auxilium *gratiæ verſatilis* ſufficiat, vt aliquis dicatur ſeipſum creatore ſuo adiuuante ſeruare, ergo & homo infirmus habens auxilium *gratiæ verſatilis*, ſeipſum in gratia ſancti amoris creatore ſuo adiuuante ſeruabit. Conſequens deſtruit excellentiſſimam illam doctrinę AVGVSTINIANÆ molem, quâ opprimit IANSENIVS *Moliniſtas*: ergo & antecedens.

Deni-

Digitized by Google

Denique ſi in S. AVGVSTINO perſcrutentur præclara iſta fidei verba, luce meridianâ clarius erit, non poſſe à IANSENIO in ſenſu *gratiæ verſatilis* explicari. Nam eo in loco intendit S. AVGVSTINVS redarguere eos, qui beatam vitam ſiuè bonam operationem putant ſibi virtute proprię voluntatis efficere. Sic enim præmittit. *Quibus vtique, quoniam Christiani appellantur, magis obſeruandum eſt, quàm Iudæis, de quibus hæc dixit Apoſtolus*; nempe, iuſtitiam, quæ à Deo eſt, ignorantes, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: Hæc inquam Apoſtoli verba dicit S. AVGVSTINVS magis eſſe illis Chriſtianis obſeruanda, quàm Iudæis; *Ne*, ait, *offendant in lapidem offenſionis, velut argute defendendo naturam & liberum arbitrium, quemadmodùm philoſophi huius mundi, qui vehementer egerunt vt putarentur, vel putarent ſibi beatam vitam VIRTVTE PROPRIÆ VOLVNTATIS EFFICERE. Caueant ergo iſti ne per ſapientiam verbi euacuent crucem Chriſti, & hoc ſit eis offendere in lapidem offenſionis.*

CLXXXVII. Non poteſt negare IPRENSIS EPISCOPVS eum, qui ſolo *gratiæ verſatilis* & non auxilio GRATIÆ DE SE EFFICACIS perſeuerat, virtute propriæ voluntatis ſibi dare perſeuerantiam; & ipſam per conſequens beatam vitam, quæ perſeuerantiæ infallibiliter nectitur. Alioquin vim omnem ſuis argumentis tolleret, quibus ex S. AVGVSTINO mirum in modum exagitat, & reuincit *Moliniſtas*. Illos ergo redarguit Chriſtianos S. AVGVSTINVS, qui virtute propriæ voluntatis putant ſibi dare perſeuerantiam. En illius argumentum procedens à maiori ad minus. *Natura enim humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret.* Quaſi diceret, natura humana etiam in ſua integritate non virtute propriç voluntatis dediſſet ſibi perſeuerantiam, quod æquiualet in phraſi *Ianſeniana*, non *gratiâ verſatili* dediſſet ſibi perſeuerantiam. Ecce majus, ex quo concludit minus. *Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodò ſine Dei gratia poteſt reparare, quam perdidit.* Quaſi diceret, cùm igitur virtute propriç voluntatis, ſiuè in phraſi, *Ianſeniana*, ſolo *gratiæ verſatilis* auxilio ſalutem cuſtodire non poſſit, quomodo virtute propriç voluntatis, ſiuè ſolo *gratiæ verſatilis* auxilio, poteſt reparare ſalutem, quam perdidit.

Iudica CORDATE LECTOR, an non gladius Goliat IANSENIO fuerit *gratia verſatilis?* vna manu eam ædificando, altera eam deſtruendo, ſeipſum peremit, & in eandem cum MOLINA foueam cecidit. O caſus admirabilis! ô altitudo diuitiarum ANGELICÆ Sapientiæ! Proprii & continuo acris ingenij labore euoluens AVGVSTINVM cum *Molina* cecidit IANSENIVS, ſatis dixi. O caſus admirabilis! ſi infuſo D. THOMÆ lumine veluti veſtimento amictus, & munitus fuiſſet, non cum *Molina* cecidiſſet. O altitudo diuitiarum ANGELICÆ Sapientiæ! *Nunquam qui eam tenuit à tramite veritatis deuiauit, & qui eam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus.* Quàm verè id dixerit Summus Chriſti Vicarius, *b* agnoſcat hîc, & obſtupeſcat LECTOR CORDATVS

b. ſupra num. 1.

§. XI. *Radicale prædeſtinationis* AVGVSTINIANÆ *diſcrimen non penetrauit* EPISCOPVS IPRENSIS *defectu luminis* ANGELICI.

CLXXXVIII. EXemplar prædeſtinationis gratuitę eſt IESVS Chriſtus Dominus noſter, ſecundùm S. AVGVSTINVM. i Non tantùm prædeſtinatus eſt Filius Dei; ſed vt ait Apoſtolus: l *prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum*, hoc eſt, prædeſtinatus eſt Filius Dei vt eſſet hominum Redemptor. Vnde S. AVGVSTINVS ait: m *ſicut ergo prædeſtinatus eſt ille vnus, vt caput noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus, vt membra eius eſſemus.* Per merita ſua redemit homines, & redemptio generis humani non minùs fuit corona meritorum Chriſti capitis, quàm vita æterna ſit corona meritorum in membris. Quid inde? Multum per omnem modum. Etenim inde concluditur efficaciſſimè prædeſtinatio gratuita & hominum, & Angelorum.

i. de Prædeſtinatione Sanctorum c. 15.
l. Rom. 1
m. loco ſupra citato.

Prædeſtinatus eſt Chriſtus Dominus noſter ad redemptionem hominum meritis ſuis acquirendam. Et tamen gratis prædeſtinatus eſt hominum redemptor, eo ipſo quòd ex voluntate Dei decernente Chriſtum Redemptorem ab æterno, proceſſit in tempore omnis gratia vnionis & capitis efficaciter inferens condigna redemptionis opera. Ita prædeſtinati ſunt homines ad beatitudinem meritis ſuis acquirendam. Et tamen gratis prædeſtinati ſunt homines beati, eò ipsò quòd ex voluntate Dei decernente ab ęterno homines beatos proceſſit in tempore omne auxilium efficaciter inferens merita.

Ratio horum eſt, quòd vt præſcientia alicuius præcedat prædeſtinationem debet illud eſſe neceſſarium ad prædeſtinationem, & non eſſe effectus prędeſtinationis. Nam hoc ipſo quòd aliquid ſit effectus prędeſtinationis non poteſt præuideri antecedenter ad prædeſtinationem, vel conditionatam ſi præuideatur conditionatè, vel abſolutam, ſi abſolutè.

CLXXXIX. Gratuita Chriſti Redemptoris prædeſtinatio infert quoque gratuitam Angelorum beatorum prædeſtinationem. Quia licet prædeſtinati ſint ad beatitudinem virtute propriæ voluntatis acquirendam; propria tamen illa voluntas fuit effectus voluntatis diuinæ decernentis illis beatitudinem. Et vim in hoc facimus; quòd ſicut merita Chriſti, quibus virtute propriæ voluntatis ſufficientiſſimam habentis poteſtatem, redemptionem generis humani acquiſiuit, fuerunt effectus diuinæ illius voluntatis, quâ prędeſtinatus eſt hominum Redemptor: ita & merita Angelorum, quibus virtute propriç voluntatis ſufficientiſſimam habentis poteſtatem beatitudinem acquiſiuerunt, fuerunt effectus diuinç illius voluntatis, quâ prædeſtinati ſunt beati. Quare gratuitò prędeſtinati ſunt & Angeli & homines, ſicut gratuitò Chriſtus prædeſtinatus eſt caput eorum. Differunt Angeli & homines; quòd Angeli, vt potentes & ſani. prædeſtinati ſunt ad beatitudinem per merita quæ haberent in ſua poteſtate, acquirendam vi communis concurſus, quem Deus dat vt Dominus, non

vt

Digitized by Google

vt pediſſequus : homines verò, vt impotentes & infirmi, prædeſtinati ſunt ad beatitudinem per merita, quæ non in ſuâ, ſed in Chriſti eſſent poteſtate, acquirendam vi ſpecialis concurſus conferentis aliquid poteſtatis cum actu.

Hęc ad longum explicuimus in TRIVMPHO THOMISTARVM *n* Opuſculo *de Scientia Media ad examen reuocata*, in Appendice quam ſpecialiter addidimus in ſecunda illius Opuſculi editione, *de cauſa Prædeſtinationis & Reprobationis*. Aliud modo myſterium reuelamus, radicale nempe prædeſtinationis AVGVSTINIANÆ diſcrimen, ſuper quod non reflexit IANSENIVS defectu luminis ANGELICI.

n. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. I, cap. 2. a. 4. §. 6.

CXC. Magnum aliquid ſe ſcire putant, qui prædeſtinationem ex parte termini diſtinguunt, vt vna ſit ad gratiam, alia ad gloriam; prima ſine præuiſis meritis, ſecunda ex præuiſis meritis : neutra ſine præſidio *Scientiæ mediæ*, quam vt *exploratricem liberi arbitrij* diuinis prę mittunt decretis, quorum vox ab Impugnatoribus S. AVGVSTINI redditur : *Prædeſtinatio nihil decernit, niſi præſcientia explorauerit.* Hos in prędeſtinatione naturę infirmę IPRENSIS EPISCOPVS inuictè deſtruit, & diſſipat, AVGVSTINVM coniungens THOMÆ; ex quorum coniunctione mirabilis facta eſt contra *Molinſtas* ſcientia IANSENIJ : & fortè tuta ac inconcuſſa manſiſſet, niſi AVGVSTINVM à THOMA ſeparando, BAIO & *Molinæ* ſe iunxiſſet, ipſos quos mirabiliter diſſipauerat rurſum ædificans in prædeſtinatione naturę ſanę. Hi omnes cum cognouiſſent Deum omnipotentem, non ſicut omnipotentem videntur Deum glorificaſſe, ſed potiùs mutaſſe gloriam omnipotentis Domini in ſimilitudinem hominis pediſſequi expectantis Dominum ſuum. Quid mirum, ſi euanuerint in cogitationibus ſuis?

Vno omnes ictu occidit gladius S. AVGVSTINI dicentis : *o* *Prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.* Eorum, quæ ipſa prędeſtinatione prę ſciuntur, non poteſt ante prædeſtinationem exploratrix eſſe ſcientia : ſiquidem ipsâ prædeſtinatione futura fiunt. Quæcumque autem facit in tempore ipſe Deus, prędeſtinatione præſciuit. Cùm ergo in actione bonâ tam naturæ ſanę, quàm naturæ infirmę nihil eſt quod non faciat ipſe Deus, nihil etiam erit quod prædeſtinatione non præſciuerit : & conſequenter nihil in actione bona tam naturæ ſanæ quàm naturę infirmæ erit, quod præſcientiâ explorari debeat, antequam prędeſtinetur. Et hìc adhuc cerne, CORDATE LECTOR, quomodò in ipſam *Molinæ* foueam cecidit IANSENIVS. Quo enim argumento cogit *Molinam* fateri, aliquid eſſe in actione bona hominis infirmi, quod non ſit à Deo, ſi præſcientia anteceſſerit prædeſtinationem : eodem & IANSENIVS cogitur fateri, aliquid eſſe in actione bona Angelorum, quod non ſit à Deo, ſi Deus eam non prædeſtinet, niſi præſcientia explorauerit.

o. de Prædeſtin. Sanctor. c. 10.

CXCI. Non terminus prędeſtinationis agitauit S. AVGVSTINVM; ſed diſcretio, quę inter ęquales fit, quorum aliqui ad idem eliguntur, ad quod alij reprobantur. Quidquid ſit illud, ad quod diſcretionis electio & reprobatio fiat, nihil refert; ſola diſcretionis cauſa AVGVSTINIANVM fatigauit ingenium. Ex iſta parte radicale prædeſtinationis AVGVSTINIANÆ deſumitur diſcrimen, quod conſtituit inter prædeſtinationem Angelorum &

prædeſtinationem hominum. Securim ad radicem ponamus. Prædeſtinatione Angelorum *diſcretio fit inter æquales innocentes*; prædeſtinatione hominum *diſcretio fit inter æquales peccatores.* Ecce radicale diſcrimen, quod ſi perceperis, plana tibi fiet doctrina AVGVSTINIANA; ad quod ſi IANSENIVS reflexiſſet, S. AVGVSTINVM à D. THOMA nunquam ſeparaſſet.

Prima inter innocentes in tempore diſcretio fit aliquorum peccato, quod voluntas libero ſuo arbitrio ſola facit; & aliorum perſeuerantiâ, quam voluntas libero ſuo arbitrio cum Deo, tanquam cum Domino ſuo, perficit. Prima inter peccatores in tempore diſcretio fit aliquibus parcendo, quod ſola Dei miſericordia facit: & alios puniendo, quod ſola Dei iuſtitia operatur: ſiuè quod idem eſt, aliquos à peccato liberando, alios non liberando; Nam apud Deum iuſtum, cui non poteſt impunitum manere peccatum, voluntas non liberandi à peccato ex voluntate puniendi ortum ducit.

CXCII. Intuens S. AVGVSTINVS, primam Angelorum innocentum diſcretionem libero eorum arbitrio fieri, dixit: o *Angeli quidam, quorum princeps eſt, qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt. Refugientes tamen eius bonitatem, quâ beati fuerunt, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.* Cui nihil obſtat, quòd Angeli ſteterint in veritate Deo ad perſeuerantiam eorum concurrente vt Domino, non vt pediſſequo: & conſequenter quòd prædeſtinati fuerint ad ſtandum per liberum arbitrium: niſi volueris dicere, in perſeuerantia Angelorum aliquid eſſe, quod non fecerit Deus: ſicque meliores ſe feciſſe Angelos, quàm facti ſunt à Deo: Quod non niſi abſurdiſſime dicere poteris, teſte S. AVGVSTINO. p

o. de corrept. & grat. c. 10.

p. vide num. 181.

Intuens autem, primam hominum peccatorum diſcretionem nullo liberi arbitrij actu perfici; nihil eorum tribuit arbitrio, ſed ex ſolâ Dei voluntate cauſam diſcretionis aſſignat, qui vt miſericors aliquos *parcendo* à peccato liberat, qui vt iuſtus alios *puniendo* in peccato relinquit. Nihil ita replicatum in S. AVGVSTINO inuenies, quàm ſolam Dei miſericordiam in illis, quos à peccato liberat, & ſolam Dei iuſtitiam in illis, quos à peccato non liberat. Cui non obſtat, quòd liberum arbitrium ſit proxima diſcretionis cauſa; ſed in his, qui à peccato liberantur cauſa proxima diſcretionis eſt liberum arbitrium ſpeciali Dei concurſu miſericorditer præuentum: in his, qui à peccato non liberantur, cauſa proxima diſcretionis eſt liberum arbitrium, iuſtè errori traditum, ſiuè quod idem eſt, præuenienti concupiſcentiæ iuſtè dimiſſum.

CXCIII. Ab ijs quæ in tempore facit Deus, ad æternum aſcendamus prædeſtinationis tribunal. Voluntas, quam habet Deus ab æterno faciendi aliquid in tempore, eſt ſecundùm S. AVGVSTINVM prædeſtinatio; Diſcretio igitur quæ fit in tempore, ab æterno volita erit prædeſtinatio. Quare ſumptâ prædeſtinatione pro æternâ diſcretione hominum peccatorum, prædeſtinatio erit voluntas liberandi aliquos à peccato, quam habet Deus ab æterno ſecundùm magnam miſericordiam ſuam nullis præcedentibus hominum meritis. Reprobatio hominum peccatorum erit voluntas non liberandi aliquos à pecca-

peccato, quam habet Deus ab ęterno ſecundùm magnam iuſtitiæ ſuæ potentiam ex præcedenti naturę demerito. Et ſic prædeſtinatio hominum eſt proprijſſimè actus miſericordiæ; Reprobatio verò eſt proprijſſimè actus iuſtitiæ.

Prædeſtinatio, ſiuè ęterna diſcretio, Angelorum innocentum poterit dici voluntas concurrendi (concurſu omnipotentis Domini digno) cum libero aliquorum arbitrio ad perſeuerandum, quam habet Deus ab æterno, non ſecundùm miſericordiam ſuam, ſed ſecundùm altitudinem ſapientię ſuę. Vt enim ex S. AVGVSTINO docet D. THOMAS: *p Miſericordia eſt aliena miſeria in noſtro corde compaſſio, quâ vtique, ſi poſſemus, ſubuenire compellimur. Dicitur enim miſericordia ex eo quòd aliquis habet miſerum cor ſuper miſeria alterius. Miſeria autem felicitati opponitur. Eſt autem de ratione beatitudinis ſiuè felicitatis, vt aliquis potiatur eo, quod vult, & quod pertinet ad iuſtitiam. Nam ſicut Aug. dicit 13. de Tri.* Beatus eſt, qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult. *Et ideò è contrario ad miſeriam pertinet, vt homo patiatur quæ non vult.* Innocens dicitur felix eò ipsò quòd per amorem ſuo vltimo fini coniungatur, ſic enim nihil mali vult: & quia ante tempus debitum velle habere finem vltimum in re, eſſet aliquid mali velle, non vult hoc, ſua ſpe contentus, & ita habet omnia, quę vult. Cùm ergo miſericordia eſſentialiter ſit ad miſeriam; vbi nulla eſt miſeria, non poteſt eſſe miſericordia. In innocente non eſt miſeria; non poteſt igitur innocentis prędeſtinatio ad miſericordiam propriè pertinere.

p. 2. 2. q. 30. a. 1.

Voluntas quam habet Deus ab ęterno, non concurrendi cum libero aliquorum arbitrio ad eorum perſeuerantiam, ſeu permittendi liberi eorum arbitrij caſum, poterit dici Reprobatio innocentum; quę non erit actus iuſtitiæ provt iſto nomine vtitur in præſenti S. AVGVSTINVS, qui iuſtitiam ſumit, vt eſt retributio pro meritis, quę bona merita præmio coronat, mala autem pœnâ caſtigat. Ad quem ſenſum permiſſio peccati in Angelis non poteſt eſſe actus iuſtitiæ; ſed ad altitudinem diuinæ Sapientiæ etiam ſpectat, & agentis vniuerſaliſſimi prouidentiam.

CXCIV. Dicant modò Aduerſarij, quid durum, quid crudele habeat iſta innocentum ęterna diſcretio, ſecundùm quam Deus ab ęterno voluit concurrere in aliquibus ad eorum perſeuerantiam; in alijs autem ab æterno voluit permittere eorum peccatum: ſiuè, quod idem eſt, ab ęterno voluit quoſdam innocentes â peccato pręſeruare, alios verò innocentes noluit à peccato pręſeruare. Nihil plus ſæuitię & crudelitatis ineſſe poteſt iſti diſcretioni innocentum; quam inſit diſcretioni peccatorum, ſecundùm quam non omnes peccatores Deus conuertit in bonum. De quâ hęc ait S. AVGVSTINVS: *a Sed poſſet, inquit, etiam ipſorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. Debemus enim non plus ſapere quàm oportet ſapere.* Quamdam tamen aſſignat iſtius diuinæ nolitionis conuenientiam & rationem, nempe vt pœna iſtorum proficiat ad correctionem aliorum, qui in bonum conuertuntur. Hæc enim ſubijcit: *Puto autem paulò ante ſatis nos oſtendiſſe, non parui boni eſſe rationalem creaturam, etiam iſtam, quæ malorum comparatione cauet*

a. de Geneſ. ad litter. cap. 10.

Digitized by Google

canet malum Quod genus bona creatura vtique non eſſet ſi omnium malas voluntates in bonum Deus conuertiſſet, & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret: ac ſic non eſſet niſi ſolum illud genus, quod nulla vel peccati vel ſupplicij malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numeroſitate excellentioris generis ipſorum generum bonorum numerus minueretur.

CXCV. Quidni dicamus etiam, potuit Deus omnes innocentes à peccato prçſeruare, quoniam omnipotens eſt. Potuit planè. Cur ergo non fecit? Quia voluit. Cur voluerit, penes ipſum eſt. Debemus enim non plus ſapere quàm oportet ſapere. Poſſumus tamen & volitionis iſtius conuenientiam & rationem aſſignare ex doctrina S. AVGVSTINI dicentis: [b] *Quid valet liberum arbitrium non adiutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt; ad malum ſufficit ſibi, ad bonum nonniſi adiuuetur à Deo.* Noluit ergo Deus omnes innocentes à peccato prçſeruare, ſiuè quod idem eſt, noluit cum libero omnium innocentum arbitrio ad eorum perſeuerantiam veluti omnium Dominus concurrere: vt illi, quos prçſeruaret, agnoſcerent, quid valeat magna illa ſui arbitrij poteſtas ſibi relicta, & à Deo non adiuta, ſicque præuenirent Apoſtolica verba: [c] *Quid enim habes quod non accepiſti. Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?*

b. Tractat. de cantico nouo c. 8.

c. 1. Cor. 4.

Fateor maximum mihi maximè ſuperbo fuiſſe humilitatis incitamentum, recogitare in corde Angelorum peccatum. Motus inde videtur deuotus *Thomas à Kempis* in pijſſimo nec ſatis laudando de Imitatione Chriſti libro, dum ait: [*] *Sto attonitus & conſidero quia cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo. Si in Angelis reperiſti prauitatem, nec pepercisti, quid fiet de me? ceciderunt ſtellæ de cœlo, & ego puluis quid præſumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima, & qui comedebant panem Angelorum, vidi ſiliquis delectari porcorum. Nulla eſt ergo ſanctitas, ſi manum tuam Domine ſubtrahas. Nulla prodeſt ſapientia, ſi gubernare deſiſtas.* Hæc eſt conuenientiſſima apud altiſſimum ratio non præſeruandi omnes innocentes à peccato.

* lib. 3. cap. 14.

Nota, hanc eſſe differentiam inter denegationem gratiæ præſeruantis à peccato, & denegationem gratiæ liberantis à peccato; quòd hæc procedat ex voluntate puniendi, non vero illa: non enim Deus permittit peccatum primum prçcisè vt puniat, vt dixi in TRIVMPHO THOMISTARVM loco citato *de cauſa Prædeſtinationis.* [d] Ex quo patet, quòd denegatio gratiæ de ſe efficacis in hominibus pertinet ad Dei iuſtitiam; ſiquidem gratia de ſe efficax in hominibus eſt gratia à peccato liberans, qualis non eſt gratia de ſe efficax in Angelis; vnde denegatio illius non reducitur in Dei iuſtitiam: ſed ſe habet ſicut primi peccati permiſſio.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. c. 2. a. 4. §. 6. in Appendice, ſectione ſecunda.

CXCVI. Quçcum ita ſint, credimus S. AVGVSTINVM conuenientiſſimè, diſcretionem innocentum reduxiſſe ad liberum arbitrium; quia cùm in malis diſcretio peccato fiat, & denegatio gratię de ſe efficacis, non ſit cauſa peccati: Deus non poteſt dici in malis cauſa diſcretionis. In bonis verò diſcretionem ſolummodo cauſat, vt vniuerſalis omnium cauſa, cui actiones cauſarum particularium non ſolent tribui, ſed ipſis cauſis particularibus; ſicut dicimus ignem calefacere, plantam generare, Animal ſentire, hominem diſcurrere; licet iſta non fiant niſi Deo vt omnium Domino concurrente. Hujuſmodi

Digitized by Google

modi eſt innocentum perſeuerantia, quâ ipſi ſe diſcernunt, quam Deus non vt cauſa particularis, ſed ſolùm vt cauſa vniuerſalis perficit; & ideò non Deo, ſed libero tribuitur arbitrio. Quarè euidens eſt, S. AVGVSTINVM conuenientiſſimè diſcretionem innocentum reduxiſſe ad liberum arbitrium: ſicut ad duas cauſas particulares, *bonam* ſcilicet & *malam* voluntatem: *bonam*, quam fecit Deus; *malam*, quam non fecit Deus.

Credimus etiam S. AVGVSTINVM conuenientiſſimè diſcretionem hominum peccatorum reduxiſſe ad Dei miſericordiam & iuſtitiam, ſicut ad duas cauſas particulares. Nam miſericordia Dei, in illis quos à peccato liberat, operatur vt cauſa particularis; quia homo infirmus ſe habet ad actiones bonas, ſicut ſeruus debilior, qui vltra motionem Domini indiget alterius conſerui fortioris auxilio. Ita homo infirmus vltra motionem omnipotentis Domini indiget ſpeciali Chriſti confratris ſui auxilio; vt dictum eſt in TRIVMPHO THOMISTARVM. *e* Iuſtitia etiam Dei in illis, quos miſericordia non liberat, operatur vt cauſa particularis, quia denegatio gratię ſpecialis, & quidquid circa illos à Deo fit, ex particulari peccatum originale puniendi voluntate procedit.

CXCVII. His omnibus non obſtat, quòd D. THOMAS vtramque diſcretionem altiori modo conſiderauerit, nempe ex vniuerſaliſſimo omnium fine, ſecundùm quem ſcriptum eſt, *f vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Bonitas diuina quę eſt omnium finis non poterat vno modo manifeſtari; & inde eſt, quòd ad completionem vniuerſi requiruntur diuerſi gradus rerum. Voluit igitur Deus inter peccatores diſcretionem facere, vt in aliquibus ſuam bonitatem repreſentaret per modum miſericordię *parcendo*; in alijs per modum iuſtitiæ *puniendo.* Ita D. THOMAS. *g* Voluit etiam Deus inter innocentes diſcretionem fieri, vt in aliquibus quos à peccato præſeruat, bonitatem ſuam repræſentaret per modum ſapientiæ cuncta fortiter attingentis; in alijs quos ſibi dimittit, per modum ſapientiæ omnia ſuauiter diſponentis. Fortitudo ſapientię exigit, vt natura ordinata in finem, illum conſequatur; ſuauitas verò petit, vt natura deflectibilis à fine, ab eo deficiat; & cùm non poſſit in vna perſona vtrumque repræſentari; diuerſarum perſonarum fit diſcretio, ſecundùm quam aliqui à peccato præſeruantur, vt fortitudo eluceat: alij non præſeruantur, vt ſuauitas manifeſtetur. Etenim de ſapientia legimus ſcriptum; *h Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Colligitur ex D. THOMA: *i* quem conſule, & delectaberis.

Nihil à S. AVGVSTINO aſſertum vides CORDATE LECTOR, quod non à D. THOMA etiam aſſeratur; verùm ANGELICO ſuo intellectu & infuſo ſibi deſuper lumine aliquid ſuperaddidit, non vt plus ſapiens, ſed vt fideliſſimus Diſcipulus occulta & profunda Magiſtri ſui ſapientiſſimi nobis manifeſtans, & elucidans. Sic ſentiat qui noluerit eſſe de veritate ſuſpectus; & alieno diſcat experimento, THOMAM AVGVSTINO coniungere. Quarè *ſi quis eſt AVGVSTINI iungatur THOMÆ*; & ad noſtram *Molinæ* oppoſitam *Concordiæ* Concordiam, *ſi quis eſt Domini, iungatur mihi.* Etenim zelus ANGELICÆ doctrinæ, hoc eſt veritatis tuæ, Domine, comedit me.

e. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. aduerſus R. P. de *Fourmeſtraux.* cap. 3. §. 2.

f. Ioan. 16.

g 1. p. q. 23. a. 5. ad 3.

h. Sap. 8.

i. 1. p. q. 48. a. 2. ad 3.

TRIVM

TRIVM FVNICVLORVM
CONCLVSIO.

CXCVIII. Tribus hiſce FVNICVLIS manifeſtè concluditur, S. AVGVSTINVM in D. THOMA eſſe legendum. Sine Magiſtro non poteſt diſci S. AVGVSTINVS; nullus ad id munus Sole ANGELICO nobilior & ſplendidior, nullus ſolidior & ſecurior, nullus clarior & ſubtilior. Quâ de causâ paragrapho 1. concluſionem deducemus. Paragrapho 2. D. THOMÆ Magiſterium dabimus. Paragrapho 3. Epiſtolam Eminentiſſimi Domini S. R. E. Cardinalis BONA, ſuperaddemus ad confuſionem aduerſariorum. Paragrapho 4. Gazettam *Moliniſtarum* explodemus. His quatuor trium perficietur Funiculorum concluſio.

§. I. *AVGVSTINVS in THOMA legendus.*

CXCIX. Tres iſti inclyti Theologi, *Bajus*, *Molina*, *Ianſenius*, in AVGVSTINIANÆ cœlo ſapientię dant teſtimonium, eam eſſe hauriendam ex altiſſimis D. THOMÆ Solis Angelici aſſertis; quę dilucidè & ſine vllâ erroris maculâ AVGVSTINVM CONTRACTVM ad inſtar ſpeculi reuerberant. Nam vt hiſce Funiculis contexuimus, à veritate nunquam deuiaſſent, ſi S. AVGVSTINVM à D. THOMA non ſeparaſſent, vel noua adinueniendo vt *Molina*; vel litterę occidenti adhærendo, vt *Baius*; vel vtrumque & *Molinam* & *Baium* ſectando, vti IANSENIVS.

Iamdudum indicauerat D. THOMAS, quę aliquibus fuerit ex verbis S. AVGVSTINI ſumpta erroris occaſio: modus nempe loquendi Platonicus:

m. 2.2. q. 23. a. 2. ad 1. quem nobis repręſentat Sol Angelicus his verbis: m *Dicendum quòd ipſa eſſentia diuina charitas eſt, ſicut & ſapientia eſt, & bonitas eſt, vnde ſicut dicimur boni bonitate quæ eſt Deus (quia bonitas quâ formaliter boni ſumus eſt participatio diuinæ bonitatis: & ſapientia, quâ formaliter ſapientes ſumus, eſt participatio quædam diuinæ ſapientiæ) ita etiam charitas, quâ formaliter diligimus proximum, eſt quædam participatio diuinæ charitatis. HIC MODVS LOQVENDI CONSVETVS EST APVD PLATONICOS, QVORVM DOCTRINIS IMBVTVS FVIT AVGVSTINVS. QVOD QVIDAM NON ADVERTENTES EX VERBIS EIVS SVMPSERVNT OCCASIONEM ERRANDI,*

Sumpſerunt occaſionem errandi, dicit D. THOMAS. Non enim illam

n. 1. p. q. 84. a. 5. dedit S. AVGVSTINVS, vt optimè explicat Sol Angelicus dicens: n *Dicendum, quòd AVGVSTINVS dicit in 2. de doctrina Chriſtiana; qui Philoſophi vocantur, ſi quæ fortè vera & fidei noſtræ accomoda dixerunt, ab eis tanquam*

Digitized by Google

quam ab iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vendicanda ſunt. Habent enim doctrinæ Gentilium quædam ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, quæ vnuſquiſque noſtrum de gentilitate exiens debet euitare. Et ideò AVGVSTINVS QVI DOCTRINIS PLATONICORVM IMBVTVS FVERAT, SI QVÆ INVENIT FIDEI ACCOMODA IN EORVM DICTIS ASSVMPSIT; QVÆ VERO INVENIT FIDEI NOSTRÆ ADVERSA IN MELIVS COMMVTAVIT.

CC. Vtinam Angelica hæc verba perpendiſſent, qui indefeſſum in S. AVGVSTINO iactant viginti annorum ſtudium, certiſſimè didiciſſent ex fideliſſimo Diſcipulo, qualiter interpretanda venit mens ſapientiſſimi Magiſtri. Didiciſſent, quòd non culpatur, ſed magnificè laudatur S. AVGVSTINVS, ſi ex dictis *Platonis* quæ inuenit fidei accomoda aſſumpſit, & quæ inuenit aduerſa in meliùs commutauit. Didiciſſent igitur non perſtringere tacitè ANGELICVM Solem, quòd principijs *Ariſtotelis* nimiùm adhæſerit. E contra magnificarent S. THOMAM, feciſſe eum in *Ariſtotele*, quod fecit S. AVGVSTINVS in *Platone*. Nam ex dictis *Ariſtotelis* ſi quæ inuenit fidei accomoda aſſumpſit, & quæ inuenit aduerſa in melius commutauit: vt ſicut *Platonem* fecit S. AVGVSTINVS Chriſtianum, ita S. THOMAS *Ariſtotelem*. Non igitur ſegregetur ampliùs, S. THOMAS à S. AVGVSTINO; ſed quid mirabile in coniunctione vtriuſque Solis ſuſpiciatur. Eorum ſiquidem fulgentiſſimâ luce faſtuoſos gentilitatis ſapientes deuicit Chriſtiana Theologia, dum quidquid à *Platone* naturali intellectus intelligentiâ ſapienter contemplatum, quidquid ab *Ariſtotele* naturali rationis indagatione verè & ſubtiliter excogitatum fuerit, nihil fidei noſtrę aduerſari, manifeſtum fecit geminus Eccleſiæ Sol AVGVSTINVS & THOMAS.

Hęc in TRIVMPHO THOMISTARVM o dixi, quæ ex hiſce tribus Funiculis ampliùs concluduntur. Ad quam concluſionem non parum conducit ſcire, ad quid vterque Eccleſię Sol videatur electus; & quis ſit vtriuſque ſcopus: quod in hunc modum manifeſtauit memoratus THOMISTARVM TRIVMPHVS. p

o. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 2. Opuſc. 2. c. 3. §. 6.

p. ibid. in Proęmio.

CCI S. AVGVSTINVS à Deo ſpecialiter electus, vt tanquam antemurale murum Eccleſię contra Manichæos & Pelagianos glorioſè defenderet, omnem ſuam doctrinam ad duo capita reuocauit, videlicet naturæ ex dono Deificante ſanitatem; naturę ex peccato originis infirmitatem. Ex primo capite, ſolam hominis voluntatem eſſe peccati, omniſque humanæ miſeriæ cauſam, aduerſus Manichæos conuincebat; ex ſecundo capite, neceſſitatem gratiæ ſanantis & PRÆDETERMINANTIS contra Pelagianos aſtruebat. Quod factum fuit ſolummodò reſpexit S. AVGVSTINVS, quid fieri poſſet non curauit. An ſanitas naturę aliter inſtitui poſſet, impertinens erat ad eius intentum quæſtio; cui pro Manichæis ſufficiebat ſanitas à Deo inſtituta, liberrimáque hominis voluntate deperdita; cui pro Pelagianis ſatis erat naturæ ex peccato originis infirmitas, & gratiæ ſanantis neceſſitas.

Sanctus THOMAS à Deo ſpecialiter electus, vt ſapientes huius mundi in ſuâ comprehenderet ſapientiâ, duo in actibus humanis conſiderauit principia, naturam naturaliter rectam, & gratiam ſupernaturaliter deificantem. Hinc

Digitized by Google

non ſolùm quid factum eſſet, ſed quid fieri poſſet attendit: vt non minùs prudenter, quàm ſubtiliter ea quę ſunt naturę, ab ijs quę ſunt gratiæ ſegregaret: necnon quæ ſunt naturę, redderet naturæ; & quæ ſunt gratiæ, redderet gratię: ipſam naturam & gratiam, quę Dei ſunt, redderet Deo: magnificando eum apud ſapientes tam vt naturæ conditorem, quàm vt gratiæ largitorem: naturam ſubijciendo gratiæ: rationem captiuando in obſequium fidei; amorem Dei naturalem ſubordinando charitati; denique demonſtrando, quòd ſuppoſitâ naturę eleuatione naturale felicitatis deſiderium compleri non poſſit, niſi in viſione Dei per eſſentiam, in Societate Filij Dei Domini noſtri JESU Chriſti, qui factus eſt nobis via, veritas, & vita: & in quo ſolo eſt ſalus & redemptio noſtra.

CCII. Errant toto cœlo, qui veritatem attingere ſe putant, in alio quàm in infuſo ANGELICI Solis lumine S. AVGVSTINVM intuentes. Iactent magnitudinem humani ingenij, & laborem in euoluendis S. AVGVSTINI libris: vno intuitu plus vidit S. THOMAS, quàm humanum valeat per mille annos capere ingenium: ſiquidem lumine pluſquam humano totam S. AVGVSTINI doctrinam inſpexit, penetrauit, & ita mirabiliter contraxit, vt tot miracula feciſſe dicatur, quot de illâ edidit articulos. Quem igitur vt AVGVSTINVM CONTRACTVM omnes ſuſpiciunt, non magis eſt poſſibile, à mente S. AVGVSTINI deuiaſſe, quàm S. AVGVSTINVM mentem ſuam non percepiſſe.

q. loco citato.

Concludendum ergo eſt, ſicut in TRIVMPHO *q* concludo; quòd ille qui à viâ veritatis noluerit deuiare, aut de veritate noluerit fieri ſuſpectus, S. THOMAM debet S. AVGVSTINO coniungere; & in vtriuſque Solis lumine lumen veritatis videbit. Si S. AVGVSTINI littera videatur aliud ſonare, credat firmiter mentem S. AVGVSTINI ANGELICA indigniſſe expoſitione; nec ſuperbè præſumat, humano ſuo ſtudio intelligere in S. AVGVSTINO, quod S. THOMAS lumine diuinitùs infuſo non intellexit. Si S. THOMÆ littera difficilis iudicetur, S. AVGVSTINVS conſulatur, ex quo tanquam fonte tota deſumitur ANGELICÆ doctrinę puritas; nec leuiter credat, Diſcipulum ſapuiſſe ſupra Magiſtrum.

§. II. *Sine Magiſtro non diſcitur S. AVGVSTINVS. Nullus ad hoc Magiſterium Sole ANGELICO nobilior, nullus ſolidior, nullus ſecurior.*

CCIII. QVod S. Scripturæ ſunt SS. Patres & AVGVTINVS hoc, vt in Procemio dixi, AVGVSTINIANÆ doctrinæ eſt S. THOMAS. Sacra Scriptura ſine AVGUSTINO & Patribus nec profundè nec ſecurè intelligitur ac diſcitur. AVGUSTINIANAM doctrinam nec profundè nec ſecurè ſine THOMA intelligi & diſci, teſtimonium perhibent TRES noſtri FVNICVLI. Addiſcentem oportet credere, ait Philoſophus. Oportet ergo, vt qui vult AVGVSTINVM diſcere, Magiſtrum, cui credat, eligat. Ardor diſcendi nobilitas eſt Ma-

Digitized by Google

Magiſtri. Cùm Pharaoni placuiſſet Ioſephi conſilium, & cunctis miniſtris eius, locutus eſt ad eos : *ſ Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu* ſ. Genef. 41.
Dei plenus ſit? Quibus placuerit ad diſcendum AVGVSTINVM de Magiſtro eligendo conſilium, loquar & ego, indicans eis D. THOMAM AQVINATEM, *Num inuenire poterimus talem Magiſtrum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?* Quęrant alium, qui in ſuis gloriantur adinuentionibus : Nos CARMELITÆ DISCALCEATI, quorum minimus ſum ego, aliud nomen non nouimus ſub cœlo datum, in quo oporteat nos AVGVSTINVM addiſcere. Dicamus ergo ei, quod in noſtrâ vniuerſæ Philoſophię dedicatione à pluribus annis cecinimus. *t.* Bruxellis An. 1664.

CCIV. Trahis nos ad te ANGELICE DOCTOR, ſi ſua quemque trahit voluptas. Trahis nos ad te, ſi nihil fortius deſiderat anima quàm veritatem. Amore trahimur, veritate trahimur, meliùs vtroque trahimur, & veritatis amore, & amoris veritate. Ramum viridem oſtendimus ovi, & trahimus illam; nuces puero demonſtrantur, & trahitur. *THOMAS* oſtenditur nobis, & trahimur, amando trahimur, ſine errore intellectus noſtri trahimur, cordis vinculo trahimur. Quid mirum? eleuatus à terra, id eſt, ſuper omnes Doctores terræ exaltatus, omnia ad te ipſum trahis. Traxiſti, *ANGELICE DOCTOR*, omnia ad te, quando dicente veritate, *Benè ſcripſiſti de me THOMA*, confitendæ veritatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti omnia ad te, quando vt ad lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis aut controuerſiæ fuerit exortum, communibus votis ad te referendum exiſtimarunt Concilij Patres Tridentini. Traxiſti omnia ad te, quando *AVGVSTINI veſtigia inſecutus*, ęqualis es AVGVSTINO factus, ipſi par in gloria, ſed eum virginali excellens munditiâ. Traxiſti denique omnia ad te, quando grandis illa magnarum alarum aquila venit ad Fratrem Eleutherium, & oſtendens te medullam cedri, ait : *Crede huic, quia doctrina eius non deficiet in æternum.* Nos etiam à te, *ANGELICE DOCTOR*, lubentiſſimè tracti, in odorem currimus vnguentorum tuorum.

Chriſtus. Concil. Trid. Sanct. Auguſt. S. Franciſcus.

TU *Centrum es ratiocinantium immobile.* Vt enim centrum principium eſt, & terminus omnium, quæ in circulo ducuntur linearum; ipſumque, toto circulo moto, immotum perſiſtit: ſic & tu, *ANGELICE DOCTOR*, omnis ratiocinationis humanę principium es, & terminus, quia omnium ſacrorum Doctorum & maximè S. AVGVSTINI fortitus intellectum, *ſermo tuus veritas eſt.* Clem. VII.
Immotus quoque perſiſtis, frendentibus inimicis tuis, & in circuitu contra te ambulantibus; vt à multis licet impugnatus, nunquam tamen expugnatus, *inconcuſſa*, vſque nunc permaneant, *tutiſſimaque dogmata tua.* Alexand. VII.

TU *Primum es Theologorum mobile.* Si primum mobile omnibus poſt ſe mobilibus motum influit, communis omnibus exiſtens motor; Tu, *ANGELICE DOCTOR*, omnibus poſt te Theologis veritatem influis, *Communis* omnibus exiſtens, & nuncupatus *Doctor.* Tantæ etenim fuiſti poſteris auctoritatis, quod ijs ſuffecerit dixiſſe, *THOMAS dixit. THOMAM* ergo non intelligit, cui ſuper omnes ſcholaſticos Doctores, *THOMAS* non ſapit. Antiquitas.

TU *Fœcundum es Eccleſiæ germen.* Quid generatione agitur? niſi per nouam ſemper ſpeciei productionem mundi conſeruatio? & quid doctrinâ tuâ agitur SOL ANGELICE, niſi per continuam veritatis defenſionem Eccleſiæ conſerua-

Digitized by Google

ſeruatio? *Tolle THOMAM & diſſipabo Eccleſiam*, ait inimicus homo. Si
Vniuerſitas Pariſienſis enim hominem homo generat & ſol, inquit Ariſtoteles, *Doctrinâ tuâ fulget Eccleſia vt ſole luna.* Si generatione reparatur quidquid per continuam contrariorum pugnam in mundo deſtruitur, *Clypeus eſt doctrina tua, quo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter elidit*: plus dico, *certiſſima eſt regula doctrinæ Chriſtianæ.* Sine germine nulla eſt in vita fœcunditas, ſine te nulla eſt in ſcholis firmitas: Miraculis germinata eſt Eccleſia, *ecce tot miracula feciſti quot ſcripſiſti articulos*, quia omnes reſoluiſti *lumine pluſquam humano.*

Paul. V. Pius V. Ioan. XXII.

Tu *Anima es veritatis motrix.* Anima es, ſi *Angelicus Doctor*, non corpus ſed veritatem mouens. Corpus mouet, qui de vno in alium transfert locum. Veritatem mouet, qui de ſuo intellectu in addiſcentium transfundit intellectum. Addiſcentem oportet credere. Cui credendum eſt? niſi tibi *vniuerſalis Eccleſiæ lumini præfulgido*, omnemque hominem in vias vitæ, & ſcholas ſanæ doctrinæ venientem illuminanti. Cui credendum eſt? niſi tibi *Fonti Doctorum*, cuius doctrina *ſine vllo prorsùs errore conſcripta* habet *præ cæteris*, proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum. Eſt enim vera ſine contagio falſitatis, clara ſine tædio obſcuritatis, fructuoſa ſine vitio curioſitatis, copioſa ambitu ſuo generalitatis.

Univerſ. Pariſ. Clem. VIII. Innoc. VI.

Tu denique, *Entis entium ſingulariter es acceptabilis.* Ratio entis omnia tranſcendens prædicamenta, diuerſa ratione in eis imbibitur. Doctrina tua, *SOL ANGELICE*, omnes ſcholas tranſcendens diuerſa quoque in eis recipitur ratione. Te ſequentibus, fit odor veritatis in veritatem, quia *nunquam qui te tenuit inuenitur à via veritatis deuiaſſe.* Te impugnantibus, fit odor mortis in mortem, cum nullus illam impugnare poſſit, niſi fiat de veritate ſuſpectus. Nam qui te impugnat, te non benè ſcripſiſſe credens, Chriſto contradicit dicenti, *Benè ſcripſiſti de me THOMA*; non ſolum quia bona & vera, ſed quia *Benè*; id eſt ex charitate, quâ ſolum Deum intendiſti; ſi enim aliud, non te *Benè* ſcripſiſſe aſſerere potuiſſet, qui *Benè* omnia fecit. Ecce quomodò factus es *Deo acceptabilis, & hominibus inexpugnabilis.* Quis accuſabit aduerſus electum Dei? Deus qui verificat, quis eſt qui falſitatis condemnet?

Innoc. VI. Chriſtus.

Exurge *THOMA*, & diſſipentur inimici tui, omniſque te impugnandi occaſio, ſit ſemper occaſio calva. Fugiant qui oderunt te à *veritate tua.* Hanc ſibi iuſtiſſimo adſciuit iuramento Vniuerſitas Salmanticenſis. Hanc nos ſimplici ac affectuoſâ proſequimur obedientiâ, nunquam recedet ab ore, nunquam recedet à corde, quia ipſam ſequentes non deuiamus, ipſam cogitantes non erramus, ipſam tenentes non corruimus, ipſam loquentes non mentimur, ipſam ruminantes ad veritatem pervenimus. Tenuimus eam, nec dimittemus. In hac glorietur, qui de doctrina gloriatur; non enim qui ſuam commendat ſapientiam ille ſapiens eſt, ſed quem tu, *ANGELICE DOCTOR*, commendas. Commendentur Patres Dominicani quòd ſis *Verus Dominici filius*; non inuidemus, modò commendemur & nos, quòd ſis *Vnicus Carmeli Diſcalceati Magiſter.* Hæc eſt confeſſio noſtra, quam caro & ſanguis non reuelauit nobis, ſed ille qui ſuperioribus noſtris dixit, *qui vos audit me audit*; ex eorum enim mandato ſumus tui in æternum diſcipuli.

Vniverſitas Salma. Carmelitæ Diſcalceati.

CCV. Hæc

Digitized by Google

CCV. Hæc eſt ſors noſtra. Non enim poſt magnam Dei miſericordiam de datâ in Carmelo *ad primitiuum ſpiritum reformato* profeſſione ſolemni, maiorem agnoſco ego gratiam, quàm *qua docuit D. THOMAS intellectu conſpicere, & qua egit imitatione complere.* Laudemus viros glorioſos & Parentes noſtros in generatione ſuâ. Chriſtus dixit, *Ego ſum via, veritas, & vita.* Chriſtum VIAM docet nos TRIPLICIS NIHILI Parens B. IOANNES A CRVCE, Pœnitentię miraculum; Chriſtum VERITATEM docet nos AVGVSTINI mens D. THOMAS, Veritatis portentum; Chriſtum VITAM docet nos SERAPHICI AMORIS Mater S. Virgo TERESIA, Charitatis prodigium. Hæc eſt trina, & conſequenter perfecta, CARMELI REFORMATI gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

§. III. *Epiſtola Eminentiſſimi Domini S. R. E. Cardinalis BONA approbans doctrinam TRIVMPHI THOMISTARVM, vt dicitur num.* 48.

CCVI. LAudatam ſuprà num. 47. damus Epiſtolam. Occaſio gratiſſimæ huius Epiſtolæ fuit iſta. Poſtquam in Sacrâ Indicis Congregatione habitâ coram Eminentiſſimis & Reuerendiſſimis S. R. E. Cardinalibus, profeſto S. THOMÆ vnici præceptoris & informatoris mei Anno 1674. euaſerunt Libelli mei *de Libertate & Contritione* ab omni cenſura immunes, quam illis infligi totis viribus curabant Aduerſarij mei. Agnoui me operâ Eminentiſſimi Domini Cardinalis BONA præcipuè fuiſſe liberatum: quem ſuſcitauit mihi Deus, qui non derelinquit ſperantes in ſe; vt liberaret pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Ne tanto ingratus forem beneficio, Liberatori meo gratias egi, humili quà potui calamo Epiſtolam exarante: cui Eminentiſſimus Cardinalis reſcribere dignatus eſt iſtam:

ADMODVM REVERENDE PATER.

FAteor me aliquid operæ contuliſſe, vt Liber tuus immunis euaderet à Cenſurâ, quam illi infligi totis viribus curabant, qui nihil verum, nihil orthodoxum exiſtimant, niſi quod ipſi ſcribunt & docent. Qua in re non tibi, qui ignotus mihi eras, ſed veritati obſequutus ſum, quam doleo captiuam detineri in iniuſtitiâ. Sum & ipſe Philaléthes, & ſi veritati teſtimonium perhibui, muneris mei partes adimpleui, nec vlla mihi hâc de causâ debetur gratiarum actio. Summoperè autem opto, vt aliquam mihi occaſionem pra-

Digitized by Google

præbeas oſtendendi in re aliquâ maioris momenti quanti te æſtimem ob ſingularem doctrinam tuam, & ſtudium inquirendæ veritatis. Huic curæ, vt incumbas, hortor te & inuito; ſed vellem vt parciùs Scholaſticis, Sanctis vero Patribus, impenſiùs ſtuderes. Vale, & mei memor eſto in Sacrificijs & orationibus tuis. Romæ 19. Maij 1674.

Tuus ex corde

IO. CARDIN. BONA.

CCVI. Lætatus ſum in iſtâ Epiſtolâ, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Conſideraui eam, vt mihi à Deo miſſa ſpolia, poſt datam de Aduerſarijs meis victoriam. Dulcis mihi fuit ſuper mel & fauum. Nihil enim veritatem amanti dulcius,quàm inuenire Virum,qui veritatem ex amore veritatis defendat, liber ab omni mundano affectu, nullâque perſonarum factâ acceptione. *Gratiſſima gemma expectatio præſtolantis.* [a] *Deſiderium ſi compleatur delectat animam.* [b] Deſiderabam *PHILALETHIS* approbationem. Præſtolabar Virum qui daret. Non ſum fraudatus deſiderio meo. Doctrinam PHILALETHIS laudata approbauit Epiſtola quantùm deſiderare potuiſſem: perſonam verò commendauit vltra deſiderium meum. Nec ablata eſt præſtolatio mea; Virum de mille ſuſcitauit mihi Dominus, qui approbationem daret, Eminentiſſimum dico Cardinalem BONA.

a. Prou. 17.
b. Prou. 13.

Agnoſce, LECTOR CORDATE, ſpolia miſſa. Aduerſarij mei totis viribus cenſuram libellis meis infligi curabant. Quinam ſunt iſti? *qui nihil verum*, ait Epiſtola, *nihil orthodoxum exiſtimant, niſi quod ipſi ſcribunt & docent.* Quàm opimum mihi ſpolium? Vt GERMANVS PHILALETHES, hoc eſt, vt ſincerus veritatis amator ſæpè exprobraueram inimicis meis, eos veritatem non quærere, ſed in cauillorum circuitu ambulare; non tam veritate, quàm poteſtate pugnare. Quid mirum? *Nihil verum, nihil orthodoxum exiſtimant, niſi quod ipſi ſcribunt.* Quis hoc dicit? S. R. E. CARDINALIS.

Ingens aliud cerne ſpolium: *veritati obſequutus ſum*, ait BONA, *quam doleo captiuam detineri in iniuſtitiâ.* Qui totis viribus cenſuram doctrinę PHILALETHIS infligi curabant, ipſi perhibentur veritatem captiuam detinere in iniuſtitiâ. Nec certè ad obtinendam PHILALETHIS cenſuram totum ſuum adhibuiſſent conatum, niſi veritatem captiuam detinerent in iniuſtitiâ. Verè ætatus ſum in Epiſtolâ BONA, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

CCVIII. Nec ſolùm ſpolia, ſed VIRVM inueni, qui veritatem librorum meorum ex amore veritatis defenderet, liber ab omni mundano affectu, & ſine acceptione perſonarum. Quę perſonarum acceptio, vbi defenditur ignotus? audi Cardinalem. *Quâ in re non tibi, qui ignotus mihi eras, ſed veritati obſequutus ſum.* Libertatem ab omni mundano affectu edocent nos ponderata iam verba; *qui nihil verum, nihil orthodoxum exiſtimant, &c.* Nec non & iſta, *quam*

Digitized by Google

quam doleo captiuam detineri in iniuſtitiâ. Aduerſarios meos non timebat,qui ſic loquebatur. Nec aliquid ab homine ſperabat,qui nullam ſibi vult reddi gratiarum actionem, ſed debitum reddidiſſe perſuadet. *Si veritati,* inquit, *teſtimonium perhibui, muneris mei partes adimpleui, nec vlla mihi hâc de causâ debetur gratiarum actio.*

Puro veritatis amore conſcriptam demonſtrant Epiſtolam iſta melliflua verba *: veritati obſequutus ſum; veritati teſtimonium perhibui; muneris mei partes adimpleui : ſum & ipſe Philalethes*, hoc eſt, amator veritatis. Vnde, quæſo, zelus iſte, quo increpat Aduerſarios meos dicens, *Qui nihil verum, nihil orthodoxum,&c. Quam doleo captiuam detineri,&c.* Vnde,inquam,hic zelus, niſi ex amore veritatis? Norunt omnes,qui eo accenduntur,quàm indignatione plenum ſit,videre non ambulantes in veritate,& eam captiuam in iniuſtitiâ detinentes.

CCIX. Gratiſſima ſuper omnia fuit mihi gemma, approbatam videre PHILALETHIS doctrinam à tanto huius ſęculi Viro,quem vnum de mille meritò aſſerueris. Sufficeret, eum liberaſſe à cenſurâ PHILALETHEN, vt is ab illo cenſeretur approbatus. Nam eo ipſo nullâ cenſurâ dignum exiſtimauit. Liber autem aliquis cenſetur ſufficienter approbatus,dum Cenſor teſtatur, nihil contra fidem & bonos mores in eo contineri. Verumtamen non ibi ſtetit veritatis amator. Veritatem doctrinæ à PHILALETHE traditæ prædicare ipſe voluit. Dicit enim, ſe non ob aliud operam contuliſſe, vt PHILALETHES immunis à cenſura euaderet, quàm vt veritati obſequeretur. Perpende verba, CORDATE LECTOR; *Quâ in re non tibi, qui ignotus mihi eras, ſed veritati obſequutus ſum.* In defenſione Philalethis, veritati ſe dicit obſequutum, ergo non ſolam à cenſurâ immunitatem, ſed & doctrinę veritatem laudata atteſtatur Epiſtola.

Vlteriùs progreditur. *Si veritati,* inquit, *teſtimonium perhibui, muneris mei partes adimpleui.* Teſtimonium PHILALETHIS doctrinæ datum, eſt teſtimonium veritati datum : ergo veram exiſtimauit PHILALETHIS doctrinam. Ideò ad perſonam tranſiens optat occaſionem oſtendendi, quanti eum æſtimet, *ob ſingularem*, inquit, *doctrinam tuam, & ſtudium inquirendæ veritatis. Huic curæ vt incumbas hortor te & inuito.* Diſcerne, CORDATE LECTOR, cauſam PHILALETHIS à gente ſibi aduersâ. Aduerſarios PHILALETHIS increpat, quòd *nihil verum, nihil orthodoxum exiſtiment, niſi quod ipſi ſcribunt & docent.* PHILALETHEN laudat *ob ſingularem* illius *doctrinam.* Dolet de Aduerſarijs, quòd *captiuam detineant veritatem in iniuſtitiâ.* PHILALETHEN hortatur & inuitat,vt *ſtudium* proſequatur *inquirendæ veritatis.*

CCX. Quarè meridianâ luce clarius eſt, Eminentiſſimum BONA Cardinalem approbaſſe PHILALETHIS, & doctrinam, & perſonam. Verumtamen ne quis me exiſtimet aliquid eſſe,ſoli Deo ſit honor & gloria: qui me à ſæculari militiâ ad militiam vocauit ANGELICAM; & à tenebris tam errorum, quàm peccatorum, tranſtulit in admirabile gratiæ ſuæ, & BENE de ea SCRIBENTIS lumen. Canis mortuus ego ſum, quia peccaui ſuper numerum arenę maris & multiplicata ſunt peccata mea. An fortè, ſicut *c infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, ita & tot grauiſſimis dimiſit me Deus peccatis, vt ſuperbiam meam agnoſcens, & Medicum quęrens, GRATIAM CHRISTI c. 1.Cor.1.

Digitized by Google

CHRISTI VICTRICEM ET PRÆDETERMINANTEM in duritia cordis mei experirer, eamque contra fortes illius impugnatores ad mortem vſque prædicarem? De numero me fateor eſſe ſuperborum, quos grauiſſimorum caſu peccatorum ſanat Deus. De quibus S. AVGVSTINVS in TRIVMPHO THOMISTARVM relatus [d] ait: *Quoſdam Iudæorum tanto ſuperbiæ tumore periclitatos, vt eis expedierit primò non credere: & ad hoc fuiſſe excæcatos, vt non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem cum cæteris deſperatis crucifigerent: atque ita poſt eius reſurrectionem conuerterentur.* Deinde ad meam, meique ſimilium conſolationem, cauſam reddit tam exoticæ medicinæ. *Quoniam tanta eorum erat ſuperbia, vt tali humiliatione eſſet deijcienda.* Quapropter cum Apoſtolo lupo quondam rapace, & Eccleſię perſecutore concludam: [e] *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti*, hoc eſt, GRATIA VICTRIX & PRÆDETERMINANS.

d. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. *de Scientia Media ad eamen reuocata.* cap. 2. art. 1. §. vlt.

e. 2. Cor. 2.

CCXI. Præclarum habens Eminentiſſimi BONA Cardinalis in laudata Epiſtola teſtimonium, quo ſicut lucernâ accendebatur PHILALETHIS doctrina, veritati detraxiſſem, ſi Epiſtolam iſtam ſub modio, & non ſuper candelabrum luci eam dando, poſuiiſſem. Exprobrabant *Moliniſtæ*, quòd ſine vllo authentico teſtimonio iactarem libellos meos à cenſurâ euaſiſſe immunes. Quibus occludere os meliùs non poteram, quàm tanti Cardinalis teſtimonio: qui & PHILALETHEM ſe prędicans, nec vllum mihi committens ſecretum, omni timori pręcludebat aditum, quo timere debuiſſem malè accepturum, quòd ſuper tecta prædicarem tam inſigne veritatis, ex amore veritatis, datum teſtimonium. Dixit ſe *teſtimonium perhibuiſſe veritati*; Dixit ſe muneris ſui partes adimpleuiſſe; dixit, *nullam ſibi hac de cauſa deberi gratiarum actionem*; hortatur, vt *ſtudium* proſequar *inquirendæ veritatis*; liberum ſe oſtendit ab omni humano affectu; veritatis ſe profitetur amatorem; Quis iſtis penſatis Cordatè ſuſpicaretur, viro Cordato diſpliciturum notum fieri omnibus tam præclarum à ſe datum veritatis teſtimonium. Imò ex amicâ illius commonitione, quâ deſiderabat, vt *parciùs Scholaſticis, Sanctis verò Patribus impenſiùs ſtuderem*, iudicaui talem mihi miſiſſe Epiſtolam, qualem authori miſerat libri illius non ſatis laudandi, cui titulus, *La Morale Chreſtienne, &c.* tertiò iam editi. Acceſſit, quòd R. P. N. Generalis IOANNES CHRYSOSTOMVS A S. PAVLO, doctrinâ & pietate inſignis, hortatus me fuerit, vt quę in Epiſtola dabat mihi Eminentiſſimus Cardinalis ſequerer conſilia. Nullo igitur modo ſecreta fuit Epiſtola. Hæc eſt ratio facti mei, in quâ Deus ſcit, quòd non mentior, quam LECTORI CORDATO ſubijcere compulit *Gazetta Moliniſtarum*, de quâ §. ſeq.

§. IV. *Gazetta* Moliniſtarum *exploditur*.

CCXII. VErberauit *Moliniſtas* accenſa memoratæ & nunquam ſatis laudatæ Epiſtolę lucerna, atque ſuper candelabrum poſita. Non valentes ferre illius lumen, *Gazettam* interpoſuerunt, vt vmbrâ eius obſcurarent Eminentiſſimi Cardinalis lucens teſtimonium, & mentes ſuorum ſanarent,

rent, quas nimia lucentis teſtimonij lux perſtrinxerat. Negare non poterant Epiſtolam. Quid fecerunt; aliam ſuis artibus, quas norunt Cordati, publicarunt ſe obtinuiſſe Epiſtolam; de quâ vnam fecerunt Gazettam; vbi me primò arguunt furti, quo me plurima in TRIVMPHO THOMISTARVM accepiſſe dicunt ex IANSENIO. Aliam deinde CARDINALIS BONA ponunt Epiſtolam, in quâ me fecerunt reprehendi, de Epiſtolę ſuæ publicatione; eumque negantem perhibent ſe PHILALETHIS approbaſſe doctrinam. En CORDATE LECTOR, *Moliniſtarum Gazetta*, quâ putarunt accenſę Eminentiſſimi Cardinalis lucernæ & ſuper candelabrum poſitæ Eclipſim facere.

CCXIII. A furto me purgauit TRIVMPHVS THOMISTARVM IN PERPETVVM FIRMATVS, qui titulus eſt *Refutationis*, quam feci aduerſus *iniuſtam R. P. de Fourmeſtraux Defenſionem*; vbi g hoc dilemma poſui: vel verum eſt quod ſumpſi ex IANSENIO, vel falſum & damnatum; ſi quod accepi ex IANSENIO verum eſt, accepi à SPIRITV SANCTO: quia vt dicit S. AVGVSTINVS in TRIVMPHO relatus, [b] *à quocumque verum dicitur, illo donante dicitur, qui eſt ipſa veritas*; & apertiùs S. Ambroſius. *Omne verum à quocumque dicatur à Spiritu Sancto eſt.* Si falſum eſt, & damnatum; teſtimonium perhibe de malo, & eris mihi magnus Apollo. Cùm igitur *Gazetta Moliniſtarum* nullum de falſo & damnato perhibuerit teſtimonium; vera erunt, & à Spiritu Sancto accepta, quæ ſumpſi ex IANSENIO. Quòd furti accuſare, eſt ignorare definitionem furti, quâ dicitur, *rei alienæ acceptio inuito Domino.* Veritates illæ plurimæ, quas probat me ſumpſiſſe ex IANSENIO, non ſunt IANSENIJ, ſed SPIRITVS SANCTI. Nec inuito Domino illas accepi. Has enim ſine fictione didicit, & ſine inuidia communicauit.

g. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 3. num. 331.
b. num. 343.

Nihil igitur ex IANSENIO furatus ſum. Feci quod de Videntibus vnus conſuluit dicens: [i] *Si ſeparaueris pretioſum à vili quaſi os meum eris*: & quod præcepit Apoſtolus: [l] *omnia autem probate, quod bonum eſt tenete.* Hæc eſt gloria mea non in me, ſed in Domino *bene ſcripſiſſe THOMAM* annuntiante; Hæc eſt, inquam, PHILALETHIS in TRIVMPHO THOMISTARVM gloria, quòd luce Angelicâ ſeparauerit pretioſum à vili, dum quæ docuit IANSENIVS in ſenſu S. AVGVSTINI, ſeparauit ab illis, quę docuit in ſenſu *Molinæ* & *Baij*: Quòd ſapidâ D. THOMÆ ſcientiâ omnia probauerit, & quod bonum eſt tenuerit; dum quod *Baianum*, quod *Molinianum*, quod AVGVSTINIANVM erat in IANSENIO probauit, & quod AVGVSTINIANVM erat tenuit, iungens illud tutiſſimis & inconcuſſis Solis ANGELICI dogmatibus: vti & atteſtantur TRES colligati FVNICVLI.

i. Hier. 15.
l. Theſſ. 5.

CCXIV. De aliâ, quam *Gazetta Moliniſtarum*, profert Cardinalis Epiſtolâ, hoc vnum certò ſcitur, quòd primę teſtimonium perhibeat, eam ab Eminentiſſimo BONA fuiſſe conſcriptam. Et quia *quod ſcripſit, ſcripſit*, non poteſt poſterior Epiſtola infringere veritatem prioris. Nam quòd factum eſt, infectum fieri nequit. Quod fuit ex amore veritatis ſcriptum, non poteſt non fuiſſe ſcriptum ex amore veritatis: & quod approbatum fuit, non poteſt non fuiſſe approbatum. Cùm ergo prima Epiſtola, vt dictum eſt, ex amore veritatis, ſine aliquo mundano affectu, & ſine vllâ perſonarum acceptione doctrinam PHILALETHIS multifariam approbauerit, & perſonam commendauerit;

Digitized by Google

rit; non poteſt ſecunda Epiſtola (dato quòd nec fictitia, nec ſubreptitia ſit) facere, quin doctrina PHILALETHIS fuerit modo commemorato, à tanto Cardinali approbata, & illius perſona commendata. Cordatis hæc ſufficiunt ad explodendam *Moliniſtarum Gazettam*, & ridendam eorum infirmitatem, qui ſimilia iactant. Ne autem apud alios in aliquo offendatur memoria Eminentiſſimi BONA Cardinalis, qui morte ſuâ omnia humana noſtra iam tranſcendit, quem Roma, & Cordati omnes adhuc iure merito lugent, addimus familiare luſoribus pilę proloquium. *C'eſt du ſecond bond, il ne vaut rien.*

CCXXV. Finem igitur, triplici FVNICVLO imponimus; quem vt præcurſorem concepti *de Pœnitentia* operis præmittimus. Nam qui nouiſſimè de Pœnitentię Sacramento ſcribunt, non ob aliud à veritate aberrant, quàm quia D. THOMAM ignorant, & illum à S. AVGVSTINO ſeiungunt; quos tamen Deus in æternum coniunxit. Opus prę conceptum in quatuor libros diuidemus. Primus erit liber *de Pœnitentia vt eſt virtus*; Secundus *de Pœnitentia vt eſt Sacramentum* : Tertius *de praxi Pœnitentiæ in ratione Sacramenti* : Quartus, *de praxi Pœnitentiæ in ratione virtutis.* In omnibus quatuor libris THOMAM AVGVSTINO iungemus. His duobus tanquam Sanctis Patribus impenſiùs ſtudemus, & parciùs Scholaſticis, ſecundùm Eminentiſſimi BONA Cardinalis Approbatoris mei votum; & R. P. Generalis Noſtri mandatum. A gemino Eccleſiæ Sole illuminati gradiemur ſecuri per viam rectam; neque ad dexteram *antiqui rigoris* cum onera grauia alligantibus, neque ad ſiniſtram *nouæ laxitatis* cum ijs, qui *placere volunt hominibus*, declinantes. Homo proponit, Deus diſponit: ſit ipſe benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS.

INDEX FVNICVLORVM.

FVNICVLVS PRIMVS.

MOLINA.

Paragraphus 1. *Lucerna ANGELICA accenditur, quam ſub modio poſuit* MOLINA. *pag.* 4.

Paragr. 2. MOLINAM *poſuiſſe lucernam ANGELICAM ſub modio, probatur primò ex illis, quæ* MOLINISTÆ *docent.* 6.

Paragr. 3. *Solidiſſimâ ratione ſupradicta confutatur* MOLINÆ *hallucinatio.* 8.

Paragr.

Paragr. 4. *Veram Chriſti ignorat gratiam, quam geminus defendit Eccleſiæ Sol, qui eam prauenire ex parte voluntatis non agnoſcit.* 11.

Peragr. 5. *Contra dicta obijcitur celebris S. AVGVSTINI, & ſæpe decantata doctrina.* 15.

Paragr. 6. *Qui ſine lumine ANGELICO AVGVSTINIANÆ adhaſerunt litteræ, Spiritu caruerunt intelligentiæ.* 18.

FVNICVLVS SECVNDVS
BAIVS.

Paragr. 1. *In quo differunt* MOLINA *&* BAIVS. 23.

Paragr. 2. *Ex eodem fonte demonſtratur diuerſa* MOLINÆ *&* BAIJ *circa libertatem hallucinatio.* 26.

Paragr. 3. *Redditur cauſa, cur diſtinctio* gratiæ elicientis à natura eliciente *ſit ſolùm in potentiâ intelligibilis in litterâ AVGVSTINIANA.* 31.

Paragr. 4. *Neceſſaria fuit lux ANGELICA vt duplex iuſtitia, aut Dei dilectio fieret ad mentem S. AVGVSTINI actu intelligibilis?* 39.

Paragr. 5. *Obiectio plurimùm annotãda, ex quâ ANGELICA doctrina cum AVGVSTINIANA magis cõciliatur.* 37.

Paragr. 6. *Abſurda redditur S. AVGVSTINI Doctrina ſi ſecundùm occidentem* Baij *litteram, & non ſecundum viuificantem D. THOMÆ ſpiritum exponatur.* 42.

Paragr. 7. *Tertium abſurdum ex occidente* Baij *litterâ demonſtratur in puncto ſua hallucinationis.* 48.

Paragr. 8. *Idem abſurdum exhibetur in paruulis ſine baptiſmo morientibus.* 50.

Paragr. 9. *Leuiſſima omnium & mitiſſima damnatio non poteſt in paruulis cõponi cum aliquâ ſenſus pœnâ & animi triſtitiâ.* 53.

Paragr. 10. *Ex litterâ AUGVSTINIANA ſecundùm pœnam ſenſus & animi triſti-*

tiam,

Digitized by Google

APPENDIX AD §. 7. ET 8. FVNICVLI TERTII.

In quâ quorumdam Cordatorum difficultates obijciuntur, & diſſoluuntur.

CОrdati quidam & amici, quibus impreſſum hoc Opus communicauimus legendum, duas nobis obiecere difficultates, quas diſſoluere intendimus, vt mens noſtra amicis pateat; & inimicis diſpliceat, qui nos calumniandi quærunt occaſionem.

Difficultas Prima.

I. PRimum, quod nobis obijciunt, tangit doctrinam traditam paragrapho ſeptimo Funiculi tertij, quæ dicit puerum peruenientem ad vſum rationis iuſtificari dilectione debiti finis, per quam ratio operatur. Videtur 1. doctrina hæc noua contra Patrum & Theologorum interpretationem, qui illud Apoſtoli, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, de actu fidei ſupernaturali & explicito communiter exponunt.

2. Tridentino contrariatur Concilio. Docet enim Concilium, Fidem eſſe exordium & radicem noſtræ iuſtificationis; quam proinde nihil prius ſupplere poterit.

3. Fidei votum malè explicatur num. 165. quia multoties moueri homines ijs quæ oſtendit lumen naturale, ſpretis quæ ſunt fidei, abundè monſtrarunt illi, quibus prædicatum Euangelium ſtultitia eſt, aut ſcandalum.

4. Puer iſte modo noſtro iuſtificatus remanet infidelis negatiuè; & tamen ſi contingeret ipſum mori ante admiſſionem peccati lethalis, ſaluabitur. Quis Theologorum aſſeruit, vt negatiuè infidelis ſaluandus veniat, etſi propter infidelitatem negatiuam non ſit damnandus.

Soluitur hæc difficultas.

II. A Nouitate liberant nos Doctiſſimi NN. Salmanticenſes, quorum eſt iſta doctrina. Verba eorum damus: a „ Illuminatio, de qua agimus, eſt „ quidam modus & participium fidei, quem Deus intellectui infundit, non vt „ eliciat actus fidei, vel qui ſecundum ſubſtantiam ſint ſupernaturales, aut qui „ circa myſteria fidei, vel circa obiectum ſimpliciter ſupernaturale verſentur: „ ſed vt ſuosmet actus ſecundùm ſubſtantiam naturales, quibus bonum hone- „ ſtum naturale, & Deum vt finem naturalem attingit, nobiliori & perfectio- „ ri modo eliciat: nempe cum maiori firmitate & certitudine, maiorique cum „ appretiatione talis boni & finis: ex quibus oritur, vt ſit in illis actibus ma-

a. De peccatis diſp. 20. num. 30. & 31.

Digitized by Google

„ ior efficacia ad mouendam voluntatem, & eius amorem excitandum.

„ Atque hinc fit prædictam illuminationem, quando in ea ſiſtitur, non tollere „ infidelitatem negatiuam, neque efficere non credentes infideles contrariè: „ quia cum non oſtendat myſteria ſupernaturalia, quæ fides credit, neque eorum „ notitiam tribuat, adhuc hæc myſteria manent inuincibiliter ignorata, quo- „ vſque aliâ viâ notificentur: nihil enim aliud eſt infidelitas negatiua, quàm „ hæc ignorantia in eo qui caret fide.

„ Fit etiam, quòd cum D. AVGVSTINVS, & alij Patres aiunt, primum iuſti- „ ficationis initium eſſe fidem, non intelligunt dumtaxat illam quam vocamus „ fidem ſimpliciter, & quæ notificat myſteria ſupernaturalia: ſed etiam præ- „ dictam illuminationem, quę cum ſit eius participium, reducitur ad ipſam, & „ poteſt eodem nomine appellari. Hæc Doctiſſimi Patres.

Doctrinam iſtam Cordatis & amicis credens eſſe notam, nouitatis non timui notam. Sed (quod genium meum eſt) eam ex tutiſſimis & inconcuſſis vtriuſque Solis altiùs petitis principijs elucidare conatus ſum. Supernaturalitatem ſicut & fidei participium à dilectione debiti finis, per quam ratio operatur, non excludimus: ſed ſupernaturalitatem ad gratiam Dei prędeterminantem reducimus iuxta doctrinam traditam in §. 4. & 5. Funiculi ſecundi: & participium Fidei in voto Fidei magis explicamus.

III. Expurgate *Moliniſmum*, qui ſupernaturalitatem dilectionis debiti finis, per quam ratio operatur, vultis agnoſcere. *Molina* recurrit ad legem & pactum Dei dandi gratiam iuſtificantem bené vtenti viribus ſuis naturalibus. Et cum lex & pactum nihil intrinſecum imprimant actibus noſtris, nihil ſupernaturalitatis intrinſecum agnouit *Molina* in actibus, quibus homo ſecundum vires ſuas naturales facit quod in ſe eſt. Verùm qui gratię de ſe efficacis VICTRICIS & PRÆDETERMINANTIS illuminatos habent oculos, aliquem ſupernaturalitatis modum intrinſecum cernunt in actibus, quos ſecundum vires noſtras naturales elicimus, quando ad illos prædeterminamur ex intentione Dei efficaci dandi gratiam, aut gloriam. Nam ſi charitas intendens vitæ æternæ gloriam, & ex illâ intentione applicans potentias naturales & virtutes acquiſitas ad ſuos actus, imprimit in illis aliquem ſupernaturalitatis modum phyſicum, quo ordinantur actus naturales ad vitam æternam. Multò magis Deus intendens dare v. g. gratiam, & ex illâ intentione prædeterminans ad cognitionem naturalem, & amorem naturalem debiti finis, imprimet in illa cognitione & amore naturali aliquid ſupernaturalitatis intrinſecum, quo naturalis illa & cognitio & dilectio ad gratiam ordinabuntur.

IV. Iſto igitur modo dicimus, dilectionem debiti finis, per quam ratio operatur, eſſe ſupernaturalem dum iuſtificationi coniungitur, quia ſcilicet ex intentione efficaci dandi gratiam à Deo auxilio gratię victricis & prædeterminantis ſpecialiter inſpiratur. Iſtam autem ſupernaturalitatem ſufficere ad doctrinam S. AVGVSTINI, S. THOMÆ, aliorumque SS. Patrum, & Conciliorum manifeſtant quæ diximus paragraphis 3. 4. & 5. Funiculi ſecundi: Ibi oſtendimus Concilia, Sanctumque AVGVSTINVM, non diſtinxiſſe finem debitum naturalem, à fine debito ſupernaturali, nec Deum authorem naturę à Deo largitore gratiæ prout ſunt obiectum dilectionis noſtræ, ſed ſolùm attendiſſe

Digitized by Google

diſſe ad conditionem naturę rationalis ex nihilo, & infirmitatem naturę lapſę ex errante & pręueniente concupiſcentiâ : ratione cuius indiget auxilio pręueniente non omnibus dato, & vincente eſſentialiter concupiſcentiam. Quare ad mentem Conciliorum Sanctorumque Patrum ſufficit ſupernaturalitas auxilij præuenientis non omnibus dati, quæ eo ipſo ineſt auxilio, quòd procedat ex intentione efficaci Dei dandi gratiam & gloriam. Ex hac enim intentione auxilia de ſe efficacia naturalis ordinis accidentaliter fiunt ſupernaturalis ordinis, quam ſupernaturalitatem eſſentialiter habent auxilia de ſe efficacia ordinis ſupernaturalis. Dicuntur naturalis ordinis quæ recipiuntur in principio eliciente naturali; dicuntur ordinis ſupernaturalis quę recipiuntur in principio eliciente ſupernaturali.

V. Eſt ergo dilectio debiti finis, per quam recta ratio operatur, ſupernaturalis accidentaliter, non ex intentione hominis elicientis, ſed ex intentione Dei applicantis. Aliam etiam ſecundum nos habet ſupernaturalitatem ex gratiâ ſanctificante non quidem vt eleuante potentiam, ſed vt dignificante perſonam. Gratia ſanctificans exiſtit in eſſentia animę & medijs virtutibus infuſis à ſe dimanantibus eleuat potentias rationales ad ordinem ſupernaturalem. Provt exiſtit in eſſentia animæ ſanctificat & dignificat perſonam, reddens eam Deo gratam & amicam; quod & faceret etiamſi per impoſſibile potentias non eleuaret. Omnis ergo actio bona, ſi aliqua inordinatione non impeditur, accipit quamdam perſonalem ſupernaturalitatem, eò ipsò quòd ſit actio ſuppoſiti Deificati, ratione cuius placet Deo; & in finem ſupernaturalem ordinatur, non ex intentione perſonę elicientis, ſed ex intentione Dei mouentis perſonam ſibi gratam & amicam. An iſta ſupernaturalitas perſonæ ſufficiat ad meritum de condigno, condignitate ſaltem accidentali, non condignitate eſſentiali, qualis eſt in actibus ex gratia vt eleuante potentias, eſt quæſtio alibi diſcutienda.

VI. Ex his patet Reſponſio ad ea,quę primam mouent difficultatem. Ad I. patet, doctrinam iſtam non à me inuentam, ſed à Doctiſſimis NN. Salmanticenſibus deſumptam. Patet etiam Apoſtolum, Sanctoſque Patres per fidem intelligere, cognitionem debiti finis ſupernaturalem ex gratiâ Dei præueniente, non omnibus datâ, ſpecialiter inſpiratam, Omneſque Theologi, qui infidelitatem concedunt negatiuam, videntur ſic debere interpretari. Nam ſi puer perueniens ad vſum rationis actu fidei explicito illuſtretur,non poterit,ſi non faciat quod in ſe eſt, remanere infidelis negatiuè.

VII. Ad 2. Reſpondetur, Concilium non exigere aliud iuſtificationis exordium, & radicem, quam cognitionem ſupernaturalem ex gratia Dei præueniente non omnibus datâ, ſpecialiter inſpiratam : in quantùm ea quæ dictat ratio, dictat & fides. Ita Doctiſſimi NN. SALMANTICENSES. Quibus addimus, Concilium Tridentinum loqui de iuſtificatione peccatoris & impij quæ fit cum deteſtatione peccati per propriam voluntatem commiſſi, vt patet ex verbis Concilij : *b Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auerſi erant, &c.* Nos autem cum Sole Angelico loquimur de iu- b. Seſſ. 6. cap. 5.

 ſtifica-

Digitized by Google

ſtificatione, quæ fit per ſimplicem conuerſionem ad debitum finem ſine vlla deteſtatione peccati, ſecundum quod puer in illa ætate capax eſt, ſiuè ſecundum lumen ſibi datum diſcretiuum finis debiti. Ex qua non licet ad alias iuſtificationes adultorum arguere. Ad quas actum fidei explicitum omnino neceſſarium eſſe concedimus: eò quòd peccatum debet diſplicere, inquantùm eſt offenſa Dei, quam ſola fides demonſtrat. De iuſtificatione quæ fit cum deteſtatione peccati ſolent etiam loqui Concilia & SS. Patres, dum de iuſtificatione adultorum eſt eis ſermo. Ex quo nullum ex Concilijs & SS. Patribus trahi poteſt argumentum contra doctrinam Angelicam & noſtram, quæ in hoc vno caſu habet locum, in primo ſcilicet inſtanti vſus rationis, & puero ſolo lumine rationis illuſtrato: ſed per gratiam præuenientem prędeterminato.

VIII. Ad 3. dicendum, quod illi, quibus prædicatum Euangelium eſt ſcandalum aut ſtultitia, non adhęrent rectę rationi, ſed poſt concupiſcentias ſuas abeunt. Bonum rectę rationis non contrariatur bono fidei: ſed habet ſe vt minus bonum ad majus bonum. Peccatum hominis infirmi non eſt in non referendo bono rectę rationis ad bonum fidei; ſic peccat natura ſana. Sed peccatum hominis infirmi eſt in ſequendis concupiſcentijs prauis, à quibus præuenitur. Et ideo in vincendis concupiſcentijs conſiſtit tota difficultas naturæ lapſę. Qui motiuo minoris boni mouetur ad vincendum ſuas concupiſcentias, multo magis ad eamdem victoriam moueretur motiuo maioris boni, ſi ſciret ſe eâdem victoriâ conſecuturum majus bonum. In hac animi præparatione, quâ quis vincens concupiſcentias propter bonum virtutis humanæ, & vt rectæ placeat rationi, multò magis eas vinceret propter bonum virtutis infuſę, & vt gratię placeret authori, in hac, inquam, animi pręparatione dicimus conſiſtere votum Fidei; quo participium illud Fidei, quod tribuunt NN. SALMANTICENSES *c* cognitioni naturali peruenientis ad vſum rationis, magis declaratur, & Apoſtolicum teſtimonium adinſtar ſimilium Chriſti verborum ſolidiùs interpretatur.

c. ſupra num. 2.

IX. Ad 4. Reſpondetur, puerum laudato dicendi modo iuſtificatum non conſecuturum ſalutem ęternam ſine Fide explicita Saluatoris. Vnde ad diuinam prouidentiam pertinet, vt ante mortem ei reuelentur, quæ ſunt ad ſalutem æternam neceſſaria: ſicut Cornelio iam iuſtificato reuelatum fuit, Petro ad eum miſſo. Ita D. THOMAS Præceptor noſter, qui ait: *d Non ſequitur inconueniens, poſito quòd quilibet teneatur aliquid explicitè credere, ſi in Syluis, vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus, DVCTVM NATVRALIS RATIONIS SEQVERETVR IN APPETITV BONI ET FVGA MALI, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem Fidei prædicatorem ad eum dirigeret, SICVT MISIT PETRVM AD CORNELIVM. Act. 10.* Hæc autem neceſſitas diuinę reuelationis non inconuenienter deducitur ex eo, quòd faciens quod in ſe eſt dilectione debiti finis, per quam ratio operatur, habet ex gratia prædeterminante implicitè Fidem in voto & animi præparatione. Vincendo enim GRATIA VICTRICE ET PRÆDETERMINANTE con-

d. Verit. q. 14. a. 11. ad 1.

Digitized by Google

concupiſcentiam, quam viuens ſecundum ſenſum ante vſum rationis ſequutus eſt, remouet fidei impedimentum; & ex intentione Dei dandi gratiam imprimitur dilectioni debiti finis, per quam ratio operatur, modus quidam ſupernaturalis quo fit ſupernaturalis, ſicut actus naturalis à charitate imperatus: cum hac differentia, quòd hic ex intentione hominis elicientis fit ſupernaturalis, illa ex intentione Dei applicantis: Vterque actus non *ſecundum ſubſtantiam ſuam*, ſed *ex modo & fine* ſupernaturalis.

Hæc in defenſionem Doctiſſimorum NN. Salmanticenſium, & doctrinæ in eis fundatæ ſubtilitate Scholaſticâ dicta ſunto.

X. Si quis tamen Cordatus huic ſupernaturalitati non acquieſcat, ſed teſtimonium Apoſtolicum, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, voluerit eſſe intelligendum de actu Fidei *ſecundum ſubſtantiam ſuam* ſupernaturali, propter communem SS. Patrum interpretationem, & maximè S. AVGVSTINI, cuius authoritatem adducit ipſe Sol ANGELICVS ad comprobandam neceſſitatem iſtius actus *ſecundum ſuam ſubſtantiam* ſupernaturalis his verbis: *e Illa Fides ſana eſt, quâ credimus nullum hominem ſiuè maioris ſiuè parua ætatis liberari contagio mortis & obligatione peccati niſi per vnum mediatorem Dei & hominum Ieſum Chriſtum.* Ex quo infert D. THOMAS *f Si qui tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque fide Mediatoris: quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus reuelaſſet: ſecundum illud Iob. 35. cap. Qui docet nos ſuper iumenta terra.*

e. 2. 2. q. 2. a. 7. in arg. ſed contra. f. ad 3.

Si inquam, propter iſta actum fidei *ſecundùm ſubſtantiam ſuam* ſupernaturalem exigat Cordatus ad iuſtificationem, non contendam cum ipſo; ſed quod diximus g de ſalute æterna, dicemus de iuſtificatione, nempe Deum illuſtrare lumine Fidei & mouere ad dilectionem debiti finis, per quam Fides operatur, omnem illum quem mouet in primo inſtanti vſus rationis ad faciendum quod in ſe eſt dilectione debiti finis, per quam ratio operatur. Expreſsè hoc docet Sol ANGELICVS dicens: *b Quòd etiam ad Fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt, PER ID QVOD IN NATVRALI RATIONE EST: Vnde dicitur quòd ſi aliquis in barbaris natus nationibus, quod in ſe eſt faciat, Deus ſibi reuelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel Doctorem mittendo.*

g. ſupra ad 4.

b. 2. diſt. 28. q. 1. 2. 4. ad 4.

XI. Iſta connexio facientis quod in ſe eſt *per id quod in naturali ratione eſt* cum Fide iuſtificante, non oritur ex *pacto* aliquo *Moliniano*; ſed ex *propoſito diſcretiuo* Dei quibuſdam dandi gratiam, & alijs denegandi. Quibus Deus vult dare gratiam, eos quandoque mouet ad faciendum quod in ſe eſt *per id quod in naturali ratione eſt*. Et quos ſic mouet, ijſdem ſemper reuelat quod eſt neceſſarium ad ſalutem. Quibus autem Deus vult denegare gratiam, eos non mouet ad faciendum quod in ſe eſt dilectione debiti finis, per quam ratio naturalis operatur, nec eis reuelat ſemper quod eſt neceſſarium ad ſalutem. Quibus autem non fit reuelatio, remanent infideles negatiuè.

Hæc eſt *pacti Moliniani* & *propoſiti diſcretiui* differentia, quòd ſecundùm *pactum Molinianum* Deus debeat præuidere *quod in ſe eſt facientem*, an-

Digitized by Google

antequam velit ei dare gratiam. At ſecundùm *propoſitum diſcretiuum* prius debet Deus præuidere, cui velit dare gratiam, antequam velit eum mouere ad faciendum quod in ſe eſt, *per id quod in naturali ratione eſt*. Ex quo apertè ſequitur, *ipſum facere quod in ſe eſt* non poſſe eſſe effectum gratiæ ſanctificantis iuxta *Molinæ pactum*; ſecùs verò iuxta *propoſitum diſcretiuum*. Denique iuxta *Molinæ pactum* liberum arbitrium, faciendo quod in ſe eſt, determinat Deum ad dandum ſibi gratiam ſanctificantem; & ſic eſt in tempore prima cauſa ſuę ſanctificationis. At ſecundùm *propoſitum diſcretiuum* ipſe Deus intendens dare gratiam ſanctificantem determinat liberum arbitrium, ad faciendum quod in ſe eſt, & ſic ipſe Deus redditur etiam in tempore prima cauſa ſanctificationis.

XII. Secundùm iſtam tutiſſimam & inconcuſſam ſententiam verificatur; quòd gratia ſanctificans detur facienti quod in ſe eſt dilectione debiti finis, per quam ratio operatur; ſed Fide ſuperueniente, & dilectione, per quam Fides operatur. Sicque Apoſtolicum ſaluatur teſtimonium, *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Verùm infidelitas negatiua non ita de facili ſaluatur. Nam ſi Fides detur facienti quod in ſe eſt dilectione debiti finis per quam ratio operatur, qui non faciet quod in ſe eſt, ſuâ culpâ non habebit fidem; non igitur negatiuè infidelis erit. Ad hoc dico, eum quidem ſuâ culpâ carere actu fidei, ſed cum defectu reuelationis. Ad infidelitatem contrariam, vel priuatiuam requiritur, vt facta reuelatione quis careat Fide. Tunc enim vrget obligatio præcepti; vnde ante factam reuelationem, non repugnat aliquis auditui fidei, nec contemnit ipſam. In quo tamen, ait Sol ANGELICVS, *i* propriè perficitur ratio infidelitatis. Habes CORDATE LECTOR, ſolutionem argumenti, quod in prima ſententia cauſa fuit negandi neceſſitatem actus fidei *ſecundum ſubſtantiam ſuam* ſupernaturalis ad iuſtificationem. Vide & THOMISTARVM TRIVMPHVM.

i. 2. 2. q. 10. a. 1. *l*. THOMISTAR. TRIVMPHVS tom. 1. *de Scientia Media ad examen reuocata n.* 131.

Secunda Difficultas tangitur.

SEcundum tangit comparationem factam num. 168. quâ ipſum *facere quod in ſe eſt* dicitur effectus gratiæ ſanctificantis, ſicut conſenſus eſt effectus GRATIÆ VICTRICIS; in quo ſenſu verificari diximus axioma Angelicum, quòd *Deus det gratiam facienti quod in ſe eſt, ſicut dat gratiam victricem conſentienti*. Hęc videntur apertè pugnare contra verba Angelica num. 158. recitata: In quibus dicit D. THOMAS, facientem quod in ſe eſt conſequi remiſſionem peccati originalis *gratiâ ſuperueniente*; Non poteſt dici quòd homo conſequatur conſenſum *gratia victrice ſuperueniente*. Dicit etiam D. THOMAS quòd faciens quod in ſe eſt *conſequetur* gratiam, quod certè verificari non poteſt ſi gratia ſit cauſa faciendi quod in ſe eſt; ſicut non verificatur, quod conſentiens *conſequetur* GRATIAM VICTRICEM.

Difficultas iſta diſſoluitur diſtinctione duorum munerum, quæ habet gratia ſanctificans à ſe inuicem ſeparabilium, nempe *munus remittendi peccatum, & munus influendi in actum liberi arbitrij*. Poteſt ergo gratia ſanctificans ſecundum vnum munus conſiderata ſibi-ipſi ſuperuenire, & ad ſeipſam

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum alterum munus conſideratam conſequi. Scientibus doctrinam Angelicam *de mutua in diuerſo genere cauſa* prioritate loquor. Gratiæ vt influenti in actum, quo homo facit quod in ſe eſt, ſuperuenit in genere cauſæ materialis ipſa gratia, vt eſt *remiſſiua peccati arbitrio ſe diſponente.* Vt gratia ſit *remiſſiua peccati* non debet influere in actum, ſicut patet in paruulis baptizatis. Verum vt ſit *remiſſiua peccati arbitrio ſe diſponente* debet influere in actum. Vnde ſicut actus pręcedit in genere cauſę materialis remiſſionem peccati, ita & gratia vt influit in actum præcedit in eodem genere ſeipſam, vt *remiſſiuam peccati arbitrio ſe diſponente.* In Angelis influit in actum, & non eſt remiſſiua peccati. In paruulis eſt remiſſiua peccati, & non influit in actum.

GRATIA VICTRIX non habet duo munera, quę poſſint ſeparari, & inter quæ poſſit attendi per reſpectum ad conſenſum aliqua prioritas & poſterioritas. In quo comparationem noſtram claudicare fatemur. De his plura in libris de Pœnitentia. Vale CORDATE LECTOR, & mei in tuis orationibus memento; *O Veritas Deus fac nos omnes vnum tecum in charitate perpetua!*

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag.	lin.	ERRATA	SIC CORRIGE.
5.	9.	poteſt	non poteſt
7.	18.	dici debeat	ac dici debeat
9.	34.	quâ eſt	qui eſt
11.	1.	pręponitur	proponitur
	35.	præſcribere	proſcribere
16.	6.	docet, nec	docet nos
	18.	liber	libro
	21.	*cura*	*terra*
	25.	*iuſtoque*	*iuſtèque*
		mala concupiſcentia	*mala concupiſcentia*
30.	8.	conſequenter	conſequetur
36.	11.	*ſuſptrationem*	*inſpirationem*
40.	17.	impetrandam	impetrandum
49.	12.	abuſoſus	virtuoſus
55.	14.	vernem	vermem
		& ſi	& ſic
	30.	pœnæ ſenſus	pœna ſenſus
57.	35.	hęc tota	hac tota
60.	36.	quondam	quodam
62.	36.	*ſua poteſtati*	*ſua poteſtati*
80.	11.	*peruerſa*	*peruerſa*
82.	3.	quod ita eſt	quis ita eſt
84.	9.	Ne tamen	Caue tamen ne
	17.	exterior	interior
94.	19.	mouentur	moueatur
101.	13.	Deo obediret	vt Deo obediret
118.	8.	voluit	noluit
		voluerit	noluerit
	9.	volitionis	nolitionis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google